


05

A

1954





Disputatio Theologica Ordinaria

De

**SACRIFICIO RO-
MANENSIVM MISSATI-
CO, EIVSQVE HORRENDA
ABOMINATIONE**

Quam

*PRO SARTO TECTO ASSERENDO
VNICO SACRIFICIO CRUCIS CHRI-
STI propitiatoris; sub auspicijs Spiritus San-
cti, ventilandam proponit*

Præses

LEONHARTVS HVTTERTVS,
S. Theologiæ Doctor, & Professor
publicus:

Respondente

M. HENRICO VELSTENIO
Leosteniensi, Saxone.

Ad diem 16. Decembris; horis matutinis.

**VVITEBERGÆ, Typis Meisnerianis, Impensis
Zachariæ Schureri, Anno 1663.**

MAGNIFICIS, AMPLIS-
SIMISQUE VIRIS, PRUDENTIA,
VIRTUTE, DOCTRINA, PRÆSTANTI-
BUS, DOMINIS, CONSULIBUS, TOTIQUE
Senatui inclytæ ac liberæ Imperialis Reipub, NORDT-
LINGENSIS: Dominis suis, quâ par est animi
obſervantia, plurimum colendis;

S. P. D.

Annus jam agitur quartus, Viri Magnifici & Amplissimi, ex quo me
nullius in vos meriti conscium, imò nec fortè antebac visum vobis un-
quam, unâ cum Comitibus in urbe vestra pernoctantem, singulari fa-vo-
re ac liberalitate estis profecuti. Cujus etsi haud vereor, ut vos poenituerit:
neq; arbitror futurum, ut poeniteat unquam: mea tamen putavi esse gra-
titudinis, aliquo saltem indicio ostendere, quanti ego vestrum istum sin-
gularis in me benevolentia & humanitatis affectum, fecerim haftenus
semper, hodieq; faciam. Accipite proindè, & sereno vultu, quæso, accipi-
te, hæc amoris ac observantia in vos mea primitias: & quàm sollicitè
aliquod saltem in vos meritum extare cupiam, vel ex ista, quali quali
προσφορῆς, colligite. Ego cerè, quæ ad Reipub. vestrae laudatissima tu-
endam existimationem: & ad profectus ac commoda Alumnorum vestro-
rum pro-vehenda, pertinere arbitratus fuero: in ijs perficiendis nihil quic-
quam operæ aut laboris in me desiderari patiar. DEVS OPT. MAX.
vestram Amplitudinem, totamq; Rempub. his miseris ac ferè conclamatis
temporibus, salvam, incolumem, florentem diu tueatur ac conservet.
Amen. VVitebergæ, in festo Andreae apostoli. Anni gratia 1603.

V. Amplit. & Magnif.

Observantissimus

LEONHARTVS HVTTERVVS, D.



PROPOSITIO PRIMA.



Sacrificium Missæ nervum esse regni Pontificij, & animam Antichristi Romani, quis est, qui nesciat?

II. In Comitijis certè illis Augustissimis, Anno tricesimo supra sesquimillesimum Augustæ Vindelicorum celebratis, solenniter protestati sunt Romanenses, se quidvis potius passuros, quàm Missæ Sacrificium sibi eripi.

III. Quod ipsum plus satis etiam nūm hodiè confirmat Tragedia illa verè tragica, quam Novelli Monachi Elavvitæ, freti brachio seculari, per Austriam, Styriam Carinthiam, Carniolam, non sine cæde & sanguine ludunt aguntq;.

IV. His enim Missæ Sacrificium; signum & τεκμήριον si-
ve tessera longè certissima est, quâ Catholicos (Pseudo-Catholicos Romanentes) à Lutheranis dignoscere & separare queant: ita ut sub uno Missæ nomine, tota fidei Pontificiæ summa, istis hominibus hodiè veniat: & qui illam non adorant, non venerantur, non suspicit, is quovis catharmate sit intolerabilior.

V. Idolo isti Pontificio bellum hac vice, σὺν θεῷ, illaturi, nihil dubitamus quin eo expugnato, ipsa acropolis regni Antichristiani sit labefactata, diruta, everfa.

VI. Quin persuasum habemus, pios veritatis Evangelicæ Confessores, inde etiam firma petere posse præsidia, quibus hac potissimùm tempestate, adversus Esauitarum insidias & Sophisticationes, se se solidè sustentare & confirmare queant.

VII. Nam licet prima fronte ex eorum hominum ordine videantur esse Monachi isti, quorum διδρατόρ ἐστὶ τὸ γένος: expensis tamen purioris doctrinæ fundamentis, facile patebit, illos οὐ προβλημάτων, ἀλλὰ πανουργημάτων γέμεται: id quod ejusmodi Sophistarum ἴδιον est πάθος.

Plat. in
Sophist

Status
contro-
versia.

VIII. Cæterum ut certis cancellis tanquam sacris li-
mitibus nostra sese circumdet velitatio: Statum controver-
sæ verum ac proprium constituimus istum: *An Missa pon-
tificia, in qua ministerio sacrificuli, panis & vinum transsub-
stantiari sive mutari finguntur in corpus & sanguinem Christi:
& hæc sic transsubstantiata offerri Deo patri: sit sacrificiū verè ac
propriè sic dictum: & quidem sacrificium propitiatorium pro pec-
catis, pœnis & culpis, alijsq; necessitatibus tum defunctorum,
tum viventium.*

Bellar. lib.
1. de Missa
cap. 5.

IX. Qui status, si in quæstiones simpliciores resolvatur,
distincta illa exsurgunt membra, quæ potissimum in Con-
troversiam venire censet Bellarminus: Prius: *Virum in
Missâ verè, ac propriè offeratur Sacrificium: hoc est: Virum in
celebratione Cæna Dominica, corpus & sanguis Christi, Deo pa-
tri, à sacerdote offerri possit, ac debeat? Posterius: Virum hoc
ipsum Sacrificium sit propitiatorium?*

X. Etsi verò Romanenses in eo singuli conveniunt,
quòd Missa sit sacrificium verum, ac propriè sic dictum: in
definiendâ tamen ejus Qualitate, tanquam capita vulpium
Samsonicarum, in diversa feruntur.

Schola-
stici.

XI. Verustissima Scholasticorum opinio fuit, Missam ef-
se Sacrificium propitiatorium: & ejus virtute tolli ac dele-
ri peccata Actualia, quæ quisque quotidie designat: & id
quidem ex opere operato.

XII. Testem sistimus omni exceptione majorem, Docto-
rem nimirum illum Cherubicum & Seraphicum Thomam
Aquinatam, qui lib. de Sacramento Altaris, cap. 1. sic habet:
*Secunda causa institutionis, est sacrificium altaris, contra
quandam quotidianam delictorum nostrorum rapinam: ut, si-
cut Corpus Domini semel oblatum est in cruce, pro debito origina-
li, sic offeratur jugiter pro nostris quotidianis delictis in altari, &
habeat in hoc Ecclesia munus, ad placandum sibi Deum super o-
minia legis sacrificia preciosum, & acceptum.*

13. Cui

XIII. Cui suffragatur Gabriel Biel, Lect. 26. in Canonem lit. G. *Missâ potest intelligi valere, & efficaciam habere dupliciter: Vno modo, ex opere operante: alio modo, ex opere operato. Ex opere operante, hoc est, merito personali persona celebrantis, propter quod confert Deus petita à sacerdote ijs, quibus Orationem, & missâ sacrificium applicat. Ex opere operato: id est, ex ipsâ consecratione, oblatione & sumptione venerabilis Eucharistia, non habendo respectum ad personalem sanctitatem, aut meritum Sacerdotis. Idem ibid. Missâ non solum fructificat in bonis & iustis: sed etiam in peccatoribus, pro quibus offertur, ut à peccatis convertantur. Quam ipsam sententiam tenet etiam Scotus: Quodlibet 20. art. 2.*

XIV. Hæc sententia progressu temporis, & quidem circa annum 30, & 48. supra sesquimillesimum, Ecclesiæ Romanæ visa fuit durior. Vnde publicè protestata est, sibi insignem fieri injuriam à Lutheranis, qui arguant, docere Pontificios, Missam esse Sacrificium propitiatorium pro peccatis: cum potiùs partim commemorationis duntaxat pro Sacrificio Christi expiatorio, partim laudis & gratiarum actionis Sacrificium esse, statuatur. Recentiores Pontificij contradicunt veteribus.

XV. Talis protestatio extat in responsione Principum Catholicorum, ad articulum de Missâ, in ipsis Comitibus Augustanis, Anno tricesimo Carolo Imp. exhibita:

Nô satis intelligi potest, quod assumitur, Christum satisfacisfecisse sua passione pro peccato originali. Nâ hoc nunquam auditum est à Catholicis. Iamq; rogati pleriq; constantissimè negant, ab ijs sicut doceri: Non enim missâ delet peccata, quæ per pœnitentiam velut peculiarem medicinam sanantur: sed delet pœnam pro peccato debitam, satisfactiones supplet, & gratia confert augmentum &c. Hic damnat Ecclesia Romana sanctum Thomam.

XVI. Et Iohannes Cochleus, ad artic. 3. Abusu Confes. August. *Falsissimum est, inquit, nostros ita docere. Non enim dicimus, aut docemus, missam ex opere operato iustificare,*

care, aut gratiam & remissionem peccatorum conferre. Vide Harmon. Andr. Fabricij. pag. 405.

XVII. Pari ratione Autores Sphyngis illius Augustanæ, quam vulgò *Interim* appellitamus, Anno 1548. publicè protestati sunt; in hunc modum: *Cruento suo Sacrificio Christus totius mundi reconciliationem & propitiationem pro peccatis, & plenam omnium redemptionem impetravit. Alterum vero ad RECORDATIONEM cruenti sacrificij institutum, & Ecclesiæ commodatum est, quo Christum impassibili & incruento modo sistimus patri, non ut redemptionem peccatorum & remissionem de novo mereamur: sed ut in cruce meritam fide & devotione nobis applicemus.*

XVIII. Hinc Gropperus in antididagmate Coloniensi asserit, *Missam posse appellari Sacrificium propitiatorium, non quòd tale reverà sit: sed quòd sit imago unici propitiatorij sacrificij, semel in cruce oblatis.* Quin insignem à nostris injuriam inferri Pontificijs, quasi doceant, *Missam esse Sacrificium propitiatorium pro peccatis.*

XIX. His subscribit Eccius lib. 1. de Missa cap. 10, scribens, *celebrationem, dispensationem, & sumptionem Eucharistia, posse dici Sacrificium: quia sit IMAGO quadam representativa passionis Christi, quæ fuit vera immolatio.* Quamquam, mox mutata sententiâ, propitiandi vim Missæ adscribere non dubitat.

XX. Sic ergo isti publicè divortium fecerunt à doctrinâ Thomæ Aquinatis, & plerorumq; Scholasticorum: definientes qualitatem Missæ, quòd sit sacrificium, non propitiatorium pro peccatis: sed *representativum, commemorativum, & applicativum.*

XXI. Quam sobrietatem observârunt plerique alij Scriptores Pontificij, Sidonius, Vicelius, & cum primis Conradus Clingius, part. 3. Catechismi Catholici. cap. 13. Et in summâ doctrinæ Catholicæ: tit. 105. 107. & 118.

XXII. Verum Pius IV. Pont. Max. consulens Scri-
nium pectoris sui, Anathematis fulmen in Concilio Tri-
dentino publicè projecit in singulos istos & universos,
qui nomen, ac definitionem sacrificij propitiatorij, pro-
prijsimè sic dicti, Missæ denegare ausi fuerint: suffraganti-
bus reliquis conciliabuli paterculis, & Thomæ Aquinatis
doctrinam (liceat cum barbaris βασιζαυ) canonizantibus.

En tibi Ca-
gregium
consensum
Ecclesiæ
Romanæ.

XXIII. Placet, majoris fidei gratiâ, ipsos audire loquen-
tes: Sic autem, Sessione. 22. quæ fuit sexta, sub dicto Pio. III.
cap. 2. animi sensa explicant:

*Quoniam in divino hoc Sacrificio, quod in missâ peragitur,
idem ille CHRISTVS continetur, & incruentè immolatur, qui
in arâ crucis semel seipsum cruentè obtulit; docet sancta (scili-
cet) Synodus, Sacrificium V E R E propitiatorium esse &c.*

Anno
1562. die
17. Sept.

Et post pauca: *Hujus oblatione placatus D O M I N U S, gra-
tiâ, & donum pœnitentiæ concedens, crimina, & peccata etiam in-
gentia dimittit.*

Et iterum post aliqua: *Quæ non solum pro fidelium vi-
vorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & alijs necessitatibus
sed & pro defunctis, in CHRISTO, nondum ad plenum purga-
tis, ritè, juxta Apostolorum traditionem offertur.*

Et Canone. III. *Si quis dixerit, missæ Sacrificium tantum
esse laudis, & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem
Sacrificij in cruce peracti, non autem propitiatorium; vel, solè
prodesse sumentis; neque pro vivis, & defunctis, pro peccatis,
pœnis, satisfactionibus, & alijs necessitatibus offerri debere, a-
nathema sit.*

XXIV. Quod ipsum cõfirmat praxis Ecclesiæ Romanæ, quæ
usq; adè liberalis est, in distribuendis Missis, ut vix ulla
dari possit sive necessitas, sive calamitas, imò vix res, aut cre-
atura ulla: sive in cœlis, sive in terra, cui non certa quæpiam
Missæ jampridem sit assignata.

XXV. Assertioni huic præter cætera fidem faciunt tituli Missarum votivarum ex libro Pontificali, & vulgatis Missalibus collecti: *De sacrâ cruce: De lanceâ Domini: De inventione pueri Iesu: officium transfigurationis: de Angelis: de sanctis: de sapientiâ: de puritate: pro Antistite: pro Imperatore: pro principe: pro omni gradu Ecclesiâ: pro confitentibus: pro Eleemosynarijs: pro iter facientibus: pro sponso & sponsa: pro infirmis: pro febricitante: pro defunctis: pro congregatione: pro adversitate: pro pace: pro salute vivorum: pro peccatis: pro nobis ipsis: pro Sacerdote: pro pluvia: pro serenitate: pro humilitate: pro dignâ vitâ: pro tentatione carnis: contra omnes tribulationes: contra fulgura: contra pestilentiam: contra tentationes cogitationum: contra vastatores Ecclesiæ.* Unde varix divisiones, sive species Missæ recitantur: ut alia sit *siccæ, alia madida, alia nuptialis, alia funebris, alia privata, alia publica, alia aurea, alia stannea, alia summa, alia infima, alia magna, alia parva, alia viatica, alia templaria, alia medicinalis, alia pestifera, alia pacifica, alia hostilis, alia Dominicalis, alia ferialis, alia temporaria, alia perpetua.*

XXVI. Hinc in Canone sic orat sacrificulus: *Offerimus tibi hoc sacrificium pro redemptione animarum, pro spe salutis & incolumitatis. Hanc oblationem placatus accipias, diesq; nostros in pace tuâ disponas, atq; ab æternâ nos damnatione eripi, & in electorum tuorum jubeas grege numerari.*

Et tandem in fine: *Hoc sacrificium quod obtuli, sit tibi acceptabile, mihiq; & omnibus, pro quibus illud obtuli, sit, te miserante, propitiabile.*

XXVII. Sic ergo ad pristinum suum genium hodie redit status controversiæ, ut idem planè sit, qui mox circa primordia Papatus fuit, nimirum, *Utrum missa sit sacrificium verè propitiatorium.*

XXIX. Quem statum communiter etiam agnoscunt Esautæ & complitis: ut Bellarminus, lib. 2. de Missa cap. 1.

Vvil-

Vilhelmus Lindanus, lib. 4. Panopliæ Evangelicæ, c. 50.
Torrensis lib. 3. cap. 5. §. 6. & 9. &c. Affirmativam per omnia tenentes.

XXIX. Cæterùm nos, quibus Dei beneficio concessum fuit exire ex captivitate istâ Babylonicâ, nihil prorsus morati Pontificis fulmen (brutum certè) in *Negantem* pedibus, quod ajunt, concedimus: & in Missâ verè, ac propriè offerri Sacrificium: & sacrificium quidem propitiatorium, iterum, atque iterum inficiamur.

XXX. Sic ergò stat litis contestatio plana, ac perspicua: quæ, ut ex omni parte ritè decidatur, *Judicem* requirit: sed talem, qui in ferendâ decisivâ errare, aut fallere nesciat. Quem sanè honorem, timoremque nos soli *spiritui sancto* in Scripturis loquenti cum D. Augustino deferimus.

XXXI. Et fortè ab hoc judice, hæc præsertim in controversiâ, haud ita penitus, ut in reliquis, abhorrebunt Romanenses: cum partim ipsum Concilium Tridentinum, cap. 1. diætæ Sessionis sextæ; partim vero Cardinalis Bellarminus, fidem, auctoritatemque Missæ, ex scripturis etiam conciliare, annitantur. Vide Bellarminum lib. 1. de Missâ: à cap. 6. ad 15. usque.

XXXII. Proindè, ut propiùs collatis signis congre diamur, & ut Poëta canit, hæreat pede pes, densusque viro vir: age, prodeat, duce *spiritu sancto*, Negativæ nostræ ἀποδείξις, sive demonstratio: munita ijs præsidijis, quæ *διὰ τὴν ἀπλοσύνην* monstrat invictissima.

Ἀποδείξις Negatῆ.

XXXIII. Quacunq; Ceremonia .1. non habet autorem vel Deum vel Apostolos: 2. sed ausu humano & sacrilego violat, mutat, corrumpit Testamentum Christi servatoris, verbis institutionis comprehensam: 3. & pagnat diametraliter cum sacrificio Christi propitiatorio, in ara crucis peracto: 4. cum ratione &

B

verita-

veritate aeterni Sacerdotij Christi, 5. cum naturâ sacrificiorum
propriè sic dictorum. 6. cum analogiâ scripturæ & articularum
fidei. 7. scdissimis denique abominationibus, imposturis, falsi-
tatibus scatet: illa, inquam, Ceremonia, quocumque veniat no-
mine, aut prætectu; neque sacrificium propriè sic dictum, neque
& quidem multo minus, sacrificium verè propitiatorium esse, dici
aut haberi vel potest vel debet. At vero missa Pontificiæ esse
talis est Ceremonia. Ergo &c.

XXXI. Habet autem demonstratio isthæc μέσῃ ordine
septem: quæ quomodo non conglobatim tantum posita:
sed seorsim singula per se, pro nostrâ militent. Negativâ, jam
altiùs dispiciendum fuerit.

CAPUT PRIMVM

Μέσῃ I. MISSA PONTIFICIA AVTOREM HA-
bet neque CHRISTVM, neque Apostolos.

XXXV. πολυθεύδωτος haud magis, quam καθολικὸς est Effar-
tum illud Moïsis, imò Iehovæ: Quod ego precipio tibi, hoc tan-
tum facias Domino Deo tuo: non addas quicquam Deut. 12. 32
Cui affine illud Servatoris: Erustrâ colunt me docentes doctri-
nas hominum, Matth. 15. 9. id quod ad præsens institutum
nostrum paulò specialius accommodans Apostolus: Homi-
nis, inquit, Testamentum nemo spernit, aut superordinat.
ἐπίστατ ἄσπειρον. Gal. 3. 15.

XXXVI. Sic censuit etiam vetus orthodoxa Ecclesia.
Basiliius: Quicquid vel dicimus vel facimus, id testi-
monio divinarum literarum confirmari debet. Basil. in Mo-
ralibus.

Et Cyprianus: Solus Christus audiendus, neque attenden-
dum, quid aliquis ante nos faciendum putaverit: Sed quid, qui
ante omnes est, Christus prior fecerit: Neq; enim hominis con-
suetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem. Cypr. ad Cæcil,
lib. 2. Epist. 3.

Et Hi

Et Hieronymus: *Quod de Scripturis non habet auctoritatem, eadem facilitate contemnitur, quâ probatur. In Matth. c. 23.*

XXXVII. Hinc credidit semper Ecclesia *γνησίου* Catholica, cultum divinum, vel partem ejus aliquam instituire, neq; humanæ, neq; Angelicæ potestatis esse, sed duntaxat divinæ: Et quicquid Deum autorem in Scripturis sanctis non habet, illud prophanum ingenij humani esse figmentum.

XXXVIII. Quod ipsum de sacrificijs propriè sic dicitis, ut quæ partem cultûs divini haud postremam esse constat, vel maximè fuerit statuendum.

XXXIX. Age ergò, si (quod volunt Romanenses) Missa pro sacrificio verq; ac propriè sic dicto haberi, colique debeat, proferatur ejus ordinatio: monstretur mandatum: exhibeantur tabulæ institutionis: & hæc quidem omnia demonstrentur non ex scrinio pectoris Papæ: Omnis enim homo mendax, Psal. 116. non ex obscuro aliquo, nescio quarum Traditionum infumibulo: sed ex scripturis sacris, ijsq; non vel Sophisticè detortis, vel sacrilegè adulteratis.

XL. Concilium certè Tridentinum, Sessione, 6 cap. 1. disertè affirmat, *quod Christus demonstraturus se Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech in aeternum constitutum esse, corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini obtulerit: ac sub earundem rerum symbolis, Apostolis, quos tunc Novi Testamenti sacerdotes constituebat, ut sumerent, tradiderit, & eisdem, eorundemq; in Sacerdotio successoribus, ut offerrent, preceperit, per hæc verba, Hoc facite: uti semper Ecclesia Catholica intellexit.*

XLI. Sic ergò ex sententiâ & decreto Concilij CHRISTVS Servator primus fuit non modò autor & institutor Missæ: sed primus etiam Sacrificulus
B 2 Missa-

Missaticus? Et quid mirum? cum eundem, ne videlicet per saltum, quod dicitur, ad Sacerdotalem hanc eminentiam promoveretur, etiam Ostiarium, Lectorem, Exorcistam, Acoluthum, Hypodioconum, & Diaconum fecerint Romanenses: nimirum ne sine ratione insanire viderentur.

XLII. Cæterum ad Legem & ad Testimonium, si non dixerint secundum hæc (sive Pontifex, sive concilium, sive Ecclesia dixerit) non videbunt auroram matutinam: Ies. 8, 20. Et jam ex decreto antiquitatis didicimus: Quicquid non de scripturis habet auctoritatem, illud eadem facilitate contemni, quâ approbari posse.

XLIII. Proinde à Patribus concilij ejusdemque propugnatoribus, Assertionis suæ fundamenta ex scripturis, & quidem plana, ac perspicua ut proferant, vehementer etiam atque etiam rogamus: alioqui fidem ipsorum verbis, decretis, canonibus prohibemur adhibere ullam.

XLIV. Anxiè quidè laborat gens Esauitica, & hujus cuprissimi Antesignanus Bellarminus, ut undiq; ex scripturis veteris, & novi Testamēti corrasis testimonijs, quoquomodo Lectori persuadere possit, Christum Missam ordinasse, celebrasse, eandemq; Apostolis, & successoribus celebrandam concedidisse: Sed ex universâ hâc ipsius disputatione elucet illud, quod nimis verè à Clemente Alexandrino est proditum: *Hereticorum proprium est ἡνδρα γαφαῖς οὐ τελείως, οὐδ' ὡς τὸ σῶμα καὶ τὸ ὄφρος τῆς προφητείας ὑπαγορεύει: hoc est, scripturis uti neq; integris, neq; eo sensu, quem corpus totum, & contextus Prophetiæ dicitur.*

XLV. Demonstrabitur hoc partim in ipso disputationis actu, partim peculiari tractatu, quem propediem, DE O nos benè juvante, Thrasonicis Goliathi istius sannis, & Sophisticationibus opponemus.

XLVI. Cæterum provocat primum hoc demonstratio- nis nostræ μέτρον, ad verba institutionis, & ex illis de veritate:

Libr. 7.
Stromat.

ritate & falsitate Assertionis Pontificiæ vult fieri iudici-
um.

XLVII. Verba ipsa, referentibus tribus Evangelistis & Apostolo Paulo sic habent: *Acceptit Iesus panem, gratias e-* Matt. 26.
27. & 28.
Marc. 14.
22. 23. & 24.
Luc. 22.
19. & 20.
1. Cor. 11.
24. & 25.
git, fregit, dedit discipulis & dixit: Accipite & manducate (non sacrificate) Hoc est Corpus meum, quod pro vobis datur: Hoc facite (scilicet, quod iussi estis facere, nempe manducare) in mei commemorationem.

similiter & calicem, postquam canavit, dicens: Bibite (non sacrificate) Ex hoc omnes, Hic calix novam Testamentum est in meo sanguine, qui pro vobis & multis effunditur in remissionem peccatorum: Hoc facite (scilicet bibendo, non sacrificando) quotiescunq; biberitis in mei commemorationem

XLVIII. Iudicet iam, qui iudicare potest, quiq; mentem habet nondū poculo meretricis Babylonice veneno fascinatam, quibusnam literis, aut syllabis, quibus verbis, quibus phrasibus CHRISTUS sacrificium Missæ voluerit exprefsum, & definitum?

XLIX. Orthodoxi certè quique, & verè Catholici, tum veteres, tum recentiores, evolutis & revolutis, imò in succum, quod ajunt, sanguinemq; conversis verbis istis Servatoris dispositorijs, satis alioqui perspicuis, & apertis: nusquam tamen, vel vocem missæ, sive Græcam, sive Latinam, sive Germanicam, adde etiam (propter Pistorium *πολύγλωσσον*) sive Syriacam editionem spectes, deprehendere: vel rem ipsam, quam vox illa designet, salvā textus veritate, elicere potuerunt.

L. Animadvertit hoc ipsum Petrus à Soto, haud ignobilis Doctor Pontificius, scribens: *Quod hic (videlicet in verbis Christi) indicatum est, id tota Ecclesia multò explicatius intellexit, non dubium, quin ab Apostolis & plenarijs Concilijs accepit &c.* disertè innuens, Christum obscure admodum de sacrificio Missæ locutum esse: Ecclesiam autem multò ex-

plicatiùs intellexisse, & eam sententiam ab Apostolis & plenarijs Concilijs (non à Christo) accepisse.

LI. Sic Concilium Tridentinum ex verbis institutionis nihil, nihil prorsus invenit, quod palliando suo dogmati quoquo modo in speciem saltem prætere potuerit, præter illud, *Hoc facite*, id est, *Hoc sacrificate*. Lepidè profectò, & concinnè secundum illud Maronis in Bucolicis:

Cùm faciam vitulã pro frugibus ipse venito.

LII. Vbi initiò meritò detestamur insignem temeritatem Patrum Concilij, qui licet in conscientiã essent convicti, verba institutionis non nisi per longas ambages, & iniquè detortas Metaphoricas consequentias, ad Missam accommodari posse: haud tamen veriti sunt, Anathemate ferire eos, qui negaverint, Christum in Cœnã, vel ipsum sacrificasse, vel Apostolis, ut offerrent, præcepisse. Canon. 2. Sels. 6.

LIII. Deindè verò peramanter petimus, erudiri à Romanensibus, quid causæ sit, quòd Deus, qui in veteri testamento, singula sacrificiorum genera, eorundemque ritus, & ceremonias, ejusmodi verbis planis, ac perspicuis expressit, instituit, definivit, ut vel puer octo annorum ea intelligere queat: quòd, inquam, in Novo Testamento, de sacrificio Missæ, primario illo Christianorum (ex hypothese Esavviticã loquor) cultu, nullam expressam ordinationem, nullum mandatum, promissionem nullam, verbis perspicuis, & apertis uspiam edere, aut promulgare voluerit?

LIV. Certè vel Deus nunquam tale aliquod Sacrificium Missaticum ordinare animum induxit: id quod nos ex nostrã parte firmissimè credimus: vel novum Testamentum obscurius erit Veteri: & proindè inversa comparatio-
Rom. 12. 12. *ne Apostolicã, Novum Testamentum cum Noctè; Vetus ve-*
rò cum

ro cum *Die*, sive sole deinceps comparabimus? id quod absurdum, impium, ἀθεόλογον.

L V. Colligimus proinde, Christum Servatorem in Cœna haudquaquam instituisse sacrificium corporis & sanguinis sui, sub speciebus, sive nudis accidentibus panis & vini, Deo patri offerendum: sed (quod τὸ ἕκτομ, & expressa verborum συνέπεα ἀδαμαντίνως cohærens infallibiliter evincit,) ordinasse publicam communionem corporis, & sanguinis sui, quæ fiat manducando & bibendo: idq; in fidei nostræ confirmationem: quemadmodum mox μέσομ secundum invictè astruet.

LVI. Ab hoc dejecti præsidio Romanenses, relicto Christo, quippè qui obscurius de Missâ locutus fuerit, ad Apostolos confugiunt, & ab his Ecclesiam ritum, modumq; celebrandi Missam didicisse clamitant.

Missâ non
ab Aposto-
lis institu-
ta.

L VII. Sed ubi quæso, ubi, inquam, Apostoli docuerunt aut scripserunt, se à Christo accepisse mandatum celebrandi Missam? Vbinam modum hujus sacrificij præscripserunt, aut definiverunt? Vbinam ipsimet corpus, & sanguinè Christi Deo Patri in sacrificio obtulerunt?

L VIII. Nihil profectò, nihil prorsus tale in omnem æternitatem ex Apostolorum scriptis, & monumentis, quæ Spiritus sanctus, tanquam normam veritatis, Ecclesiæ commendavit, demonstrabitur: si vel maxime omnes apices literarum accuratissimè excutiantur.

L IX. Sed neque ipsi Romanenses pedem hîc figere audent: vident enim, se veritatis impetum sustinere haud posse. Proinde haud secus, ac olim Duces Spartani parti suorum in prælio laboranti Scyritas submittebant: Ita ipsi quoque periclitanti suæ causæ, *Traditionum Apostolicarum auctoritatem*, tanquam terribiles quosdam triarios, succenturiant.

60. Sed

LX. Sed & hoc frustra. Suspecta enim nobis est Pandora illa traditionum Apostolicarum, & suspecta multis gravissimis de causis: in primis verò quòd cum doctrinā, quam suis in Epistolis tradiderunt Apostoli, διαγγέλλει pluraq; pugnant: quin ejusmodi res definiunt, quastemporibus Apostolorum non modo non in usu: sed ne fando quidem auditas fuisse, constat.

LXI. Quid quòd, referente Compilatore Iuris Canonici Gratiano, dist. 16. vetères probatissimi Scriptores, Canones illos Pseudo-Apostolicos, tanquam spurios, & supposititios, palàm rejecerunt: cum primis Isidorus, sic scribens: *Canones, qui dicuntur Apostolorum, seu quia eosdem nec sedes Apostolica recipit, nec sancti Patres ipsi assensum prabuérunt, pro eo, quòd ab Hæreticis sub nomine Apostolorum compositi dignoscuntur: quamvis in eis utilia inveniantur, ab autoritate tamen Canonica, & Apostolica eorum gesta constat esse remota, atque inter Apocrypha (hoc est, teste Glossa, sine certo autore.) reputata.*

LXII. Quæ ergo foret vesania, & stupenda oscitantia, relictis vivis, & genuinis Apostolorum scriptis, fetidos & supposititios Canones velle amplecti, ex iisque confirmare id, cujus contrarium Apostoli ipsi scriptis suis disertè prodiderunt?

LXIII. Sed quid multis opus, cum vel ipsi Romanensium scriptores, ab hâc gravi suspicione liberent Apostolos & Canonem Missæ, qui tamen est Anima, & ἰντελέχεια sacrificij hujus, illos planè ignorasse, ingenuè testentur.

LXIV. Petrus Apostolus, inquit Platina in vita Sixti. I. omnium simplicissimè, & nudè Cænam Dominicam celebravit, sola oratione Dominica usus.

LXV. Quod ipsum de reliquis etiam Apostolis universaliter pronunciat Gregorius ille M. I. P. M. *Mos inquit fuit Apostolorum, ut ad solam Orationem Dominicam consecraret oblationis hostiam.*

LXVI. Porro autor est Clichtoveus, summos Pontifices alios atque alios, subindè alia, atque alia Canonis Missæ diversis temporibus adjecisse; ceremoniasque paulatim instituisse, in ipso Canone Missæ à sacrificulo observandas.

Clicht. Pra-
ris. in Anci
Luthero.

LXVII. Et annotarunt ipsi Romanensium historici, quas partes singuli Pontifices excogitarint, canonique Missatico adjecerint: ut 1. *Introitum* Celestinus: 2. *Confiteor* Pontianus I. vel secundum Platinam, Damasus. 3. *Kyrie Eleyson* Sylvester, & Gregorius Magnus: 4. *Gloria in Excelsis*, Telesphorus. 5. *Et in terrâ pax*, Symmachus. 6. *Dominus vobiscum*, ut septies repetatur, Clemens & Anacletus. 7. *Collectas*, Gelasius: 8. *Graduale*, Gregorius M. 9. *Haleluja*, Damasus: 10. *Tractum*, Telesphorus, 11. *Sequentias*, Nicolaus. 12. *Lectiones ex Epistolis, & Evangelijs*, Damasus & Telesphorus. 13. *Symbolum*, Marcus & Damasus: 14. *Offertorium*, Gregorius I. & VII. 15. *Præfationes*, Leo I. & Pelagius II. 16. *Sanctum*, Sixtus: 17. *Thus*, Leo III. 18. *Pater noster*, Gregorius M. 19. *Agnus Dei*, Sergius I. 20. *Complendas & Secretas*, Gregorius M. 21. *Ite Missa est & Benedicamus*, Leo I. & c.

Vide Plati-
nam: Ber-
gomaten:
Naucleu.
generat. 20.
Gregoriu
M. lib. 7.
Registri. c.
63. Volate-
ranum &
alios.

LXVIII. Sic Canon ipse, velut cento, à diversis Pontificibus compositus, & inchoatus quidem amplius, quam trecentis octoginta annis post Christum, tempore Syricij: absolutus verò tandem (si modò absolutus) sexcentis post Christum annis, tempore Gregorij; à quodam scholastico, cujus nec eruditio, nec sanctitas prædicatur: ita, ut autores Canonis sint, non Apostoli: sed Alexander I. Syricius, Gelasius, Leo, Gregorius, & cum primis Scholasticus, teste Gregorio, libr. 8. cap. 7. & Innocentio III. lib. 3. de Sacramenti Altaris Mysterijs. cap. 10.

LXXXI. Ecquis verò dubitabit amplius, verissimum & extra omnem dubitationis aleam positum esse primum demonstrationis nostræ μέτρον: nempe Missam Pontificiam, neque Autorem Christum, neque Apostolos habere: sed (quod

C

ex su-

ex supra positis fundamentis ultrò sequitur) profanorum ho-
minum impudentissimum esse figmentum.

LXX. Quod ipsum, *ἐκ παλαιότητος* quasi, haud obscure vel
indè etiam patet, quòd neq; de antiquitate vocis missæ, ne-
que de ejus etymo & nativâ significatione, in hunc usque
diem Romanensibus certò convenit.

Dissenti-
unt ipsi
Romanen-
ses, de vo-
cis
Missæ Ety-
mo.

LXXI. Vocem enim missæ, origine Hebræam esse con-
tenderunt principes Catholici, eorumq; Theologi in Co-
mitijs Augustanis, Anni tricesimi: At Esavvita Bellarmi-
nus illud hodiè negat, latinam eam esse pugnans: Licet de-
monstrare haud possit, usum ejus primis quatuor seculis à
nato Christo in Ecclesiâ etiam Latinâ obtinuisse.

LXXII. Iam quoad vocis hujus Latinæ significationem, De-
us bone, quanta inter ipsos Doctores Pontificios exurgit
altercatio? dùm alij missam dici volunt, quòd oblatio, & pre-
ces ad Deum mittantur, ut Hugo de S. Victor. lib. 2. de Sa-
cramentis: par. 8. cap. ult. Alij: quòd Angelus à Deo mitta-
tur, qui sacrificio assistat, & illud ad Deum deferat: ut Ma-
gister Sent. lib. 4. dist. 13. & sanctus (si Dñs placet) Thomas
3. part. quæst. 83. art. 4. Alij, quòd, quando Sacerdos inci-
pit consecrare Eucharistiam, Catechumeni foràs de Eccle-
siâ mittuntur: ut Durandus lib. 4. Rubrica 1. circa finem:
(Alij, quòd missa est nomen proprium, & significat Christum
qui missus est à Patre, in hunc mundum: uti rursùm ha-
bet Durandus, loco citato. Alij, quod corpus Dominicum
corporaliter mittitur, quando verba Canonis recitat Sacer-
dos: ut Gabr. Biel, in expos. Can. lect. 15. Alij deniq; quod
Missa idem sit ac dimissio populi, quia Diaconus in fine di-
cit: *Ite, Missa est*, ac si dicat: *Redite ad propria*: Iam Chri-
stus missus est ad Patrèm: interprete Durando, loco jam no-
minato: & Rob. Bellarmino. lib. 1. de Missa cap. 1. & Ma-
gister, Sent. lib. 4. dist. 24. in fine.

LXXIII. Sed ineptiarum Pontificiarum plus satis: Ex his
interim, tanquam *ἡ ἐξ ὀνύχων τὸν λέοντα* agnoscere licebit.

CAPVT

CAPVT SECVNDVM.

Μεσοπ 2. MISSA PONTIFICIA AUSU HUMANO
& Sacrilego violat, mutat, corrumpit Testamentum
CHRISTI, verbis institutionis com-
prehensum.

LXXIV. *Humanum institutum esse Missam, probatum sa-
tis. Nunc quàm horribili cum prophanatione cœnæ Domi-
nicæ ea sit conjuncta, demonstrare fert animus. Libet autem
sic colligere:*

*Christus instituendo Cœnam aut Sacramentum tantum (id
quod nos contendimus) aut Sacramentum & sacrificium simul
& sic duas specie differentes actiones, unis ysdemq; verbis in-
stituit: id quod Romanenses pugnant.*

*At verò posterius hoc multis modis nefariè mutat, violat,
corrumpit verba institutionis dispositoria.*

*Ergo ratum fixumq; erit prius illud, nempe, Christum insti-
tuendo Cœnam, Sacramentum TANTUM condere & ordinare vo-
luisse.*

LXXV. Assumptionis veritas patet ex diligenti confide-
ratione singulorum verborum, singularumq; Phrasium, in-
stitutionis, quæ non sine manifestâ detorsione ad sacrificium
rapi possunt.

LXXVI. Vbi enim obsecro. 1. *Accipere panem, & cali-
cem, significat idem quod sacrificare? Vbi. 2. Gratias agere,
benedicere, frangere, sacrificandi actum proprium exprimit?
Sic. 3. dare panem discipulis, an non cum naturâ sacrificij di-
sertè pugnat? ut in quo nihil damus hominibus, sed Deo.
4. Dicere ad discipulos, nùm rursus sacrificio propriè sic di-
cto competit? Haud opinor: siquidem in omni tali sacrifi-
cio non hominibus, sed soli Deo loquimur. 5. Manducare &
bibere corpus, & sanguinem, an non funditus evertit, & radi-
citus subruit omnem sacrificij propriè sic dicti respectum;
C 2 quippe*

quippe qui non in manducando, & bibendo: sed in offerenda victima unicè consistit?

LXXVII. Quid ergò obsecro relinquitur in verbis institutionis, quod mandatum sacrificandi, non dico explicitè contineat: sed saltem implicitè involvat? Fortè illud *Hoc facite?*

LXXVIII. At verò Servator semetipsum explicat, non absolutè & solitariè dicens; *Facite*. Quo pacto fortè speciem aliquam veri Romanensium argumentatio obtinere videretur.

LXXIX. Quanquam ne sic quidem sensus sacrificatorius elici posset: Siquidem (quod literati omnes uno ore testantur) verbum *Facere*, absolutè positum, nusquam significat sacrificare: imò per se nihil certi notat: sed demùm pro subiecta materia, certam significationem sortitur usque adeò, ut si hoc loco verbum *Facere* idem sonare debeat, ac sacrificare: prius omninò demonstrandum sit, subiectam materiam, hoc est, institutam actionem Coenæ, habere rationem sacrificij propriè sic dicti. Hoc nondum demonstrato, frustrà ex verbo *Facere*, errori quaeritur patrocinium.

LXXX. Cæterùm Servator ipse litem hanc dirimit, disertè verbum *Facite* restringens partim ad id quod modò facere jusserat: partim ad finem, cuius gratia actio Sacramentalis erat instituta; inquiens, *Facite hoc*, (nempe manducate corpus, & bibite sanguinem meum) *in mei commemorationem*.

LXXXI. Et ne ullus dubitationis scrupulus maneret reliquus, fidelissimus ille Spiritus sancti amanuensis Paulus, sensum verborum Christi reddidit istum: *Annunciate mortem Domini, donec veniat*: Vbi rursus verbulum est nullum, quod vel minimam suspicionem instituti tractative sacrificij movere queat.

LXXXII. Nam quemadmodum vocabulo ἀνάμνησιν Servator non externum quoddam spectaculum, non theatricam quandam actionem, non secretam quandam meditationem sive speculationem, qualis in canone Missatico habetur: sed vivam atq; efficacem internæ fidei actionem, quæ redemptionis beneficium cum πληροφορίαις fiduciæ apprehenditur, notare voluit.

LXXXIII. Ita Apostolus per annunciationem mortis Domini, partim fidelem illam de qua modò diximus, internamque mentis & voluntatis actionem: partim publicam etiam intellexit prædicationem & gratiarum actionem, pro summis beneficijs, tum quòd Servator corpus suum pro redemptione generis humani in mortem tradidit: tum verò mediantibus externis symbolis, illud ipsum corpus & sanguinem suum, in confirmationem fidei manducandum bibendumque in Cœna hac sancire voluit.

LXXXIV. Quo pacto & Christum & Apostolum ad celebrationem illam Agni Paschalis respexisse, nullum est dubium.

LXXXV. Quemadmodum enim in ejus celebratione, commemoratio erat facienda liberationis Aegyptiacæ: Ita in actione ista Sacramentali, Redemptionis nostræ salutaris μνημόσυνον à Christo fuit institutum.

LXXXVI. Et rursus: Quemadmodum Agnus Paschalis non offerebatur Deo in sacrificium: sed comedebatur ab Israëlitis juxta præscriptum Dei: Ita neq; corpus & sanguis Christi in Antitypo hoc est in Cœna hâc Novi Testamenti sunt offerenda Deo: sed comedenda & bibenda sub pane & vino, juxta institutionem Christi: idque in ἀνάμνησιν beneficiorum, morte Christi acquisite.

LXXXVII. His observatis multiplex & varia oritur contradictio sive pugna inter sacram cœnam à Christo in-

Missæ mul-
tipliciter
pugnat
cum Sa-
cramento
Cœnæ.

stitutam : & inter Missam, ab Antichristo excogitatam : & tam acris quidem pugna, ut Missa hæc Sacram Cœnam penitus è medio sublatam, inductam, & deperditam cupiat : id quod placet certis discrepantiarum notis testatum facere.

LXXVIII. 1. Servator nusquam legitur in actione Cœnæ obtulisse Deo patri Corpus & sanguinem suum : Sed dedisse & dispensasse discipulis : Sacrificuli verò in Missa actionem specie differentem urgent, nempe oblationem Corporis & sanguinis Christi: quæ fiat non communicantibus, sed Deo : hoc est, Sacramentum mutant in Sacrificium : id quod salva veritate & analogia fidei Christianæ fieri nullo modo aut respectu potest : uti *μίσρον* demonstrationis nostræ quantum ad oculum confirmabit.

LXXIX. 2. Cœna Domini est Actio publica tum Ministrorum Ecclesiæ tum personarum communicantium : Missa verò est actio privata unius Missificis : fortè ædituo etiam, & aliquot canibus præsentibus.

1. Cor. 11.

28.

2. Cor. 13.

5.

X C. 3. Cœna Domini est talis actio, in qua ex mandato CHRISTI, omnes, qui secundum admonitionem Apostolicam, probare se possunt, utrum in fide sint, manducare & bibere debent. At verò Missifices Cœnam Domini in diversum planè habitum transformant, & pro communi omnium fidelium mensa, privatum quoddam uni homini epulum apparant: quando in privatis & angularibus suis Missis nemini quicquam dant aut communicant : Sed soli comedunt, soli bibunt, reliquis (si qui adsunt) spectatoribus exclusis, pro quibus se edere & bibere ajunt : propterea quòd *os Sacerdotis sit os omnium*. Lepidè.

X C I. 4. Servator præcepit fieri actionem hanc Sacramentalem in sui commemorationem, eo modo, quo paulo antè ex Paulo ostensum : In Missa autem tantum abest, ut Sacrificuli mortem *DOMINI* annuncient; ut missitent, & quidem

quidem lingua peregrina demurmurent quædam, quæ sæ-
pissimè ipsis raris & unctis Missificibus, propter asininam in-
scitiam, nedùm vulgo & laicis sunt incognita, minimeq; in-
tellecta.

X CII. 5. Servator Cœnam non mortuis, sed vivis insti-
tuit: illis videlicet, qui manducare & bibere, & mortem
D O M I N I annunciare possunt: At verò Romanenses, Mis-
sæ suæ Sacrificium ad mortuos usque extendunt, quibus il-
lud sese applicare jactitant: haud pensi habentes quod Psal-
tes canit: Mortui non laudabunt te D O M I N E, neque qui
descendunt in sepulchrum: Psal. 115. v. 17: Et in morte non
est qui memor sit tui, in inferno autem quis confitebitur ti-
bi? Psal. 6, 6.

X CIII. 6. Servator S. Cœnam instituit ad confirman-
dam fidem in tentationibus adversus peccatorum morsum:
Missæ verò à Pontificijs applicatur etiam ad navigantes, ne-
gotiantes, preliantes, contrahentes, iter facientes; & ad nul-
la non negotia secularia, tantò felicitiùs, & majore cum suc-
cessu expedienda.

X C I V. 7. Tandem S. Cœna promittit non simul dun-
taxat fideles in vitam esse restitutos per mortem C H R I S T I:
sed indies eos vivificari, quoties Sacramento hoc dignè u-
tantur: Siquidem participes in eo evadunt Carnis Christi
vivificantis: At Missæ sacrificium fingit, Christum oportere
quotidiè sacrificari & mori: Si aliquis usus ex ipsius me-
rito ad nos redundare debeat.

X C V. Entibi egregium consensum Cœnæ Dominicæ
& Missæ pontificiæ: talem nimirum, qualis est inter Deum
& Diabolum: Christum & Belial &c.

X C V I. Rectè profectò & graviter B. Lutherus, in tra-
ctat. de Missa privata, admonuit; vocabulorum Cœnæ
& Missæ (si videlicet ad rem ipsam magis, quàm ad
nuda

auda vocabula attendatur) tantum discrimen in animis
piorum esse debere, quantum luci cum tenebris intercedit:
imò quanto Deus à Diabolo disidet: idq; si nulla alia; sal-
tem hac de causa, quia palàm constat, Missam Pontificiã ni-
hil esse aliud, quàm horrendam & detestandam Sacramenti
Eucharistiæ prophanationem.

XCVII. Porro apud Orthodoxos semper extra omnem
controversiam fuit, hodieque est positum: Quodvis Sacra-
mentum: Quodvis etiam Sacrificium propriè sic dictum,
certà & peculiari sua gaudere institutione: neque duarum
specie differentium actionum (quales sunt Sacramentum &
Sacrificium) vnã numero, iisdemq; verbis conceptam
institutionem esse posse: id quod per inductionem singulo-
rum & Sacramentorum & Sacrificiorum tùm veteris tùm
Novi Testamenti facilè demonstrari potest.

XCVIII. Iam Sacramenti quidem institutionem, ver-
ba Coenæ disertè definiunt: id quod ne ipsi quoque Roma-
nenses negare audent: Quà ergo ratione moti statuemus,
Christum iisdem verbis Sacrificium quoque verum & pro-
prium ordinasse? præfertim cum Sacramenta & Sacrifi-
cia ipsa definitione & sic $\delta\iota\epsilon\ \delta\gamma\alpha\ \pi\alpha\sigma\ \omega\mu$ differant.

XCIX. Quæ contra excipiunt Romanenses, deq; nescio
quo Sacramentali Sacrificio siue Immolatione ogganniunt:
nimis diluta sunt & nugatoria; imò $\alpha\nu\tau\iota\phi\alpha\tau\iota\kappa\omega\varsigma$ opposita.

C. Si enim Missa est Sacrificium Sacramentale: certè
non erit Sacrificium verum & propriè sic dictum: ac proin-
dè falsus Canon Concilij Tridentini primus, Sessionis sex-
tæ. Et rursus: si Secundum Canonem istum, Sacrificium
Missæ est verum & proprium: certè sacramentale esse ne-
quit. Ratio est: Quia Sacramentum & Sacrificium specie
& definitione differunt: usque adeò vt Sacramentale Sa-
crificium, de quo fabulantur Romanenses, sit $\sigma\iota\delta\ \mu\epsilon\ \xi\upsilon\lambda\omicron\mu$.

CI. Sed placet fortius premere Adversarios, Dicant er-
nim

nim illi nobis; Si (quod volunt & pugnant) Christus in S. Cœna sese obtulit Deo Patri, an obtulerit modo Cruento, an Incruento?

CII. Si cruento: Ergo Missa non est illud sacrificium, quod Christus in S. Cœna instituit: Siquidem Missam ipsi Romanenses volunt esse *θυσίαν ἀναίμακτον* Sacrificium incruentum.

CIII. Sin Incruento modo in Cœna Christus sese obtulit: Sequetur Sacrificium illud Christi non fuisse propitiatorium: Nam testè Epistola ad Hebræos, c. 9. v. 22. *χωρίς αἵματος τελευτήσεται* sine sanguinis effusione nulla potest fieri propitiatio.

CIV. Iam cùm absurdum & blasphemum hoc esse, quis pius intelligat, ultrò patet, Christum in Cœna neque Cruentum, neque Incruentum sacrificium, & sic omninò nullum Deo patri obtulisse.

CV. Neque est, ut oggerant, sanguinem Christi in S. Cœna adfuisse, ac proinde modo crueto Christum sese Patri in ea obtulisse. Meminisse enim debebāt, non *παρουσία* præsentiam sanguinis: sed ipsam *αἱματεκχυσίαν* sanguinis profusionem in sacrificio cruento, & quidem propitiatorio, ex sententia Apostoli, vel maximè requiri.

CVI. Aut ergò talis profusio sanguinis in Cœna facta est, aut nō est facta: Si facta: Quid opus fuit, Christum postridiè denuò sanguinem profunderere? Sic enim non semel, sed bis, non unica sed gemina oblatione cruenta, propitiationem mundi præstitisset: id quod dictu blasphemum, auditu horrendum est:

Si non est facta: ergo neque sacrificium propitiatorium in cœna Christus patri obtulit: & per consequens, neq; Missa ullam ex actione hac Christi, fidem auctoritatemque, sine manifesta & sacrilegâ Testamenti Christi falsatione, mutuari potest.

CVII. Sic ergo, ut *μείρον* hoc secundum concludamus quocunque sese verterint Adversarij, insanabiles omnino & verè cruentas plagas Dagoni suo Missatico inferent: Quod ut exactius intelligant, lubet ex ipsorum hypothese, Coronidis vice, sic insurgere:

Si sacrificium Missa, quod Christus in Cæna obtulit, fuit cruentum, ac proinde propitiatorium: tum etiam Christus in eo sanguinem suum profudit & mortuus est: ac proinde supervacaneum planè fuit, illum postero die denuò mori: siquidem jam antè Redemptio peracta erat.

At consequens hoc blasphemum est & absurdum. Ergo ejusdem impietatis & blasphemia erit & antecedens, nempe Christum in s. Cæna sese Deo Patri obtulisse.

CAPUT TERTIUM.

Μείρον 3. **MISSA PONTIFICIA PUGNAT CUM**
Sacrificio **CHRISTI** in ara crucis
peracto.

LVIII. si scriptura Novi Testamenti *ννμ* numero agnoscit sacrificium propitiatorium; idq̄ omnibus numeris absolutissimum: & quidem non nisi cruentum illud Christi, in cruce peractum: imò ita absolutè unum, ut nullo modo sive cruento, sive incruento repeti, adumbrari, aut representari nedùm reipsa peragi possit aut debeat: impium certè & blasphemum erit sacrificium illud Missaticum, in quo fingit Ecclesia Romana, contineri eundem **CHRISTUM**, & incruento modo eundem immolari; unam eandemq̄ utrobiquè esse hostiam, unum eundemq̄ offerentem; diversum saltem oblationis modum: ac exinde illud sacrificium esse propitiatorium pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, alijsq̄ necessitatibus tum vivorum, tum defunctorum: uti definiuit Concilium Tridentinum, Sess. 6. c. 2. Can. 3.

At prius illud verum: Ratum ergò & hac posterius.

CIX. Connexum Majoris ultrò liquet. Neque enim in DEO contradictoriæ sunt fingendæ voluntates. Iam verò, si Deus voluit, uti certè voluit, Sacrificium Filij sui in ara crucis cruentè peractum ita esse numero actu, effectu, VNVM; ut nullo prorsus modo, siue cruento siue incruento repeti possit aut debeat: Contradictoria certè erit Assertio illa Romanensium, nempè, Sacrificium crucis cruentum, modo incruento posse ac debere quotidie siue jugiter repeti: quam quippè ἀντιφατικὴν oppositam falsam, impiam, & blasphemam esse, necessario sequitur.

CX. Minoris evidentia nititur scripturarum fundamentis, vel sole meridiano clarioribus: qualia sunt:

Hebr. 7. 26. & 27. Talis decebat, ut esset nobis Sacerdos, pius, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus, & sublimior cœlis factus, cui non sit quotidie necesse, quemadmodum illis Sacerdotibus, prius pro proprijs peccatis victimas offerre, deindè pro peccatis populi: Nam id fecit SEMEL cum semetipsum obtulit.

Hebr. 9. 12. Christus per proprium sanguinem ingressus est semel in sancta, aternâ redemptione inventa.

Et vers. 24. 25. 26. Non in manu facta sancta ingressus est CHRISTVS, exemplaria verorum: sed in ipsum cœlum, ut appareat nunc in conspectu DEI pro nobis, non ut SAEPIVS offerat semetipsum, quemadmodum Pontifex (veteris Testamenti) ingreditur in sancta, singulis annis per sanguinem alienum: alioquin oportuisset ipsum sæpius passum esse à condito mundo: Nunc autem SEMEL sub consummationem seculorum ad profligationem peccati per immolationem sui ipsius apparuit.

Et vers. 28. CHRISTVS SEMEL oblatus est, ut multorum peccata tolleret.

Hebr. 10. 2. SEMEL mundati oblatione CHRISTI.

Et vers. 12. & 14. Christus unam pro peccatis offe-

rens hostiam, in sempiternum sedet in dextera Dei: *Vna* enim oblatione consummavit sive perfecit in perpetuum eos qui sanctificantur.

CXI. Suppeditant autem isthæc scripturarum testimonia, probationum momenta longè invictissima, quibus rancidum figmentum missaticum funditùs everti & extirpari potest: Quæ paucis ordine delibabimus.

CXII. Nervum primum commonstrat sacrificij crucis qualitas. Constat enim Christum in ara crucis obtulisse sacrificium verum ac reale: & quidem semel tantum. Quo posito, sequitur nullum aliud verum ac reale sacrificium Christi dari posse: & per consequens: Quicquid extra unicum istum Sacrificij crucis actum, hoc in genere suscipitur aut instituitur: illud non verum ac reale esse sacrificium.

CXIII. Ratio consecutionis est hæc: Sic enim duo vera ac realia sacrificia Christi essent constituenda: & sic gemina etiam sive duplex mors Christi. Neque enim verè ac realiter offerri potest Christus; nisi ubi occiditur. At hoc $\delta\iota\alpha\ \rho\acute{\eta}\mu\alpha\ \kappa\upsilon$ pugnat cum illis locis, quæ Christum semel tantum oblatum esse, testantur.

CXIV. Sin excipiant Adversarij, in Missa non offerri verè ac realiter CHRISTVM: ultrò consequetur, neque missam esse sacrificium verum ac propriè dictum, corporis & sanguinis Christi: ut quæ non nisi verè ac realiter offerri possunt.

CXV. Neq; etiam ullius teruntij est illud quorundam $\kappa\epsilon\kappa\alpha\ \phi\acute{\upsilon}\gamma\epsilon\tau\omicron\upsilon$, qui obstrepunt, non duo aut diversa sacrificia: sed unum idem sæpiùs repeti?

CXVI. Nam hoc ipsum est quod detestamur; moti auctoritate Apostoli, qui non modò nullum aliud verum ac reale admittit sacrificium Novi Testamenti; Sed unum
illud

illud Crucis Sacrificium ita SEMEL vult esse oblatum, ut simpliciter repeti nec possit nec debeat.

CXVII. Quid quòd vix major discrepantia intercedere potest Christo & Belial, luci & tenebris: quàm intercedit Sacrificio Crucis cum Sacrificio Missatico. Qui ergò per Deum immortalem, duo isthæc Sacrificia, VNUM dici aut esse poterunt?

CXVIII. Sacrificium certè crucis differt à Sacrificio Missæ. Autoritate: siquidem Fundamenti loco habet substratum mirandum illud sacrosanctæ & adorandæ Trinitatis Decretum, ab omni æternitate factum. At verò Missam, *autorem habere*, neque Deum, neque Apostolos, jam supra cap. 1. demonstratum fuit.

CXIX. Deinde Sacrificium Crucis obtulit persona *à mixta*, segregata à peccatoribus; idq; ideò, ut sic perfectè expiare posset peccata totius mundi: At Sacrificulus Missifex homo est sordidus, & impurus, qui neque sua, neque aliorum peccata expiare potest.

CXX. Tertio differunt ipsâ materiâ sive victimâ, *CHRISTUS* enim in Cruce obtulit suum corpus, suumq; sanguinem, in odorem suavitatis Deo patri: At Sacrificulus Missaticus offert panem & vinum.

CXXI. Quarto Sacrificium Crucis oblatum fuit modo cruento: At in Missa offerri fingitur Sacrificium modo incruento. Sed de hâc differentia, ut & de reliquis paulò post fusiùs: si unicũ adhuc Romanensium effugiũ excusserimus.

CXXII. Sunt enim qui dictitant, Missam esse non repetitionem, sed applicationem duntaxat semel oblatis Sacrificij Christi in Cruce.

CXXIII. At verò exceptio isthæc i. pugnat cum Aphorismis Apostolicis jam supra productis. Testantur enim illa, Christum non ea lege semel sese obtulisse, ut novis quotidie oblationibus ratum fieret suum sacrificium.

CXXIV. Deindè media applicationis non sunt fingenda ex nostro cerebro: sed unicè standum est hac in parte verbo Dei revelato. Hoc autem disertè definit, quibus medijs Deus nobis velit applicare Sacrificium Filij sui: non videlicet, per aliud aliquod Sacrificium novum propitiatorium aut applicatorium; sed partim per prædicationem verbi & usum Sacramentorum idq; publicè ac generatim: partim verò privatim respectu singulorum fidelium, per SOLAM FIDEM, tum in usu, tum extra usum Sacramenti.

CXXV. Tandem laborat hæc exceptio manifestâ *ἀντιφασία* sive contradictione. Quod si enim Sacrificium Missæ tantum est applicatio Sacrificij Crucis Christi, consequens fuerit, Sacrificium illud Crucis jam omnibus modis esse perfectum & absolutum, ac proindè illud, quatenus tale est, nullo pacto posse repeti: Nam Sacrificij applicatio, præsupponit Sacrificium prius actu completum. At verò qui istam exceptionem urgent simul etiã volunt, Applicationem hanc faciendam esse indies per Missæ Sacrificium, quod (definiente Concilio Tridentino) idem planè sit cum Sacrificio Crucis. Ergò sequetur idem Sacrificium esse factum, & esse adhuc faciendum: id quod implicat contradictionem.

CXXVI. Agnoverunt exceptionis huius infirmitatem nonnulli etiam ex Romanensibus: ac proindè pugnarunt, Missam tantum esse memoriam Sacrificij crucis.

CXXVII. At verò huic sententiæ Anathema dixit Conciliabulum Tridentinum, Sess. 6. Canone. 3. definiens Missam non esse tantum Sacrificium Commemorative aut gratiarum actionis: Sed esse Sacrificium propitiatorium pro peccatis, culpis &c.

CXXVIII. Nos verò illud repetimus, Memoriam Sacrificij CHRISTI non esse fabricandam ex nostro arbitrio, sed ex præscripto verbi divini, quod non Missam: Sed actionem Sacramentalem Eucharistiæ vult fieri *ἕνεκεν ἀνάμνησιν* in recollectionem Mortis Christi. Sed

Sed satis de primo probationis nostræ nervo sive fundamento.

CXXIX. ALTERUM probationis fundamentum sup-
peditat absolutissima Sacrificij Crucis perfectio. *CHRISTUS*
enim in Cruce semetipsum obtulit, ut *in æternum nos sancti-*
ficaret, & æternam redemptionem nobis acquireret. Hebr. 9.
v. 11.

Ergo Sacrificij hujus vis atque efficacia nullo fine
terminabitur: sed in æternum durabit: & per consequens,
reiteratione planè nullâ indigebit.

CXXX. Quod si enim repetendum illud foret indies,
certè haud efficacius esset Crucis Sacrificium, quàm fuit in
Veteri Testamento Sacrificium boum & vitulorum, quo-
rum oblationes teste Epistola ad Hebræos, ex eo argueban-
tur inefficaces & infirmæ, quòd crebra reiteratione opus
haberent.

CXXXI. At verò vix quicquam dici, cogitari vè potest
in Sacrificium *CHRISTI* contumeliosius, quàm indigere
illud, instar sacrificiorum Leviticorum, quotidiana sive ju-
gi reiteratione. Sic enim nullo pacto, unicæ illi victimæ si-
ve oblationi *CHRISTI*, in ara crucis peractæ, perfecta æ-
ternaq; adscribi posset redemptio: Sic non *SEMEL* illa, &
quidem sub consummationem seculi facta esse, affirmari
posset.

CXXXII. Majoris evidentix gratiâ sic arguo: Aut
CHRISTI Sacrificio, quod in cruce obtulit, æternæ pur-
gationis vis defuit; ac propterea indies illud repetendum:
Aut *VNO* illo suo Sacrificio *SEMEL* oblato *CHRISTUS*
æternam redemptionem acquisivit, ut nunquam illud repeti
possit aut debeat. Prius illud ignorat universa scriptura:
Posterius verò hoc eadem passim affirmat & corrobora-
rat.

CXXXIII. Hinc Epistola ad Hebræos asserit, *CHRIS-*

STUS

S T U M summum Pontificem, *S E M E L* per immolationem
sui apparuisse, sub consummationem seculi, ad peccati proflig-
ationem. Hebr. 9. v. 18. Et voluntate *D E I* nos sanctificatos esse
per oblationem Corporis *C H R I S T I S E M E L* cap. 10. 10.
Vnde postmodum Apostolus generalem hunc infert Apho-
rismum: *Acquisita S E M E L* peccatorum remissione, nullam
amplius restare oblationem. cap. 10, 14.

C X X X I V. Quod ipsum Servator postrema illa voce
significavit, in cruce exclamans, *Consummatum est*: Dilucidè
ostendens, vno hoc suo Sacrificio perfectum & impletum
esse, quicquid in Salutem nostram erat perficiendum im-
plendumq;.

C X X X V. Iam verò perfectum, absolutum, impletum,
consummatum quod est, illud certè non amplius fieri po-
test aut debet: Sic enim tale non esset, quale perhibetur: id
quod luculenter patet ex natura perfectionis: sive perfecti.

C X X X V I. Nefas proindè imò piaculum fuerit, Sacri-
ficio huic Christi, cuius absolutissimam perfectionem tan-
to perè commendat scriptura, tanquam nondum plenè per-
fecto, per jugem reiterationem aliquid velle assuere?

C X X X V I I. Porrò; Vbi peccatorum est remissio, jam
actu ipso acquisita, ibi non amplius requiritur, pro pecca-
tis oblatio: Sed omnis Sacrificiorum actio cessat: Hebr. 10.
18. At in Novo Testamento, plenaria remissio & expiatio
omnium peccatorum, per *C H R I S T I* mortem est acqui-
sita: Haud igitur ullo amplius Sacrificio propitiatorio opus
fuerit.

C X X X V I I I. Patet hinc multiplex blasphemia, quæ
ex Sacrificio Missæ, prout quidem Romanenses illud defi-
niunt, in sanctissimam Mortem *C H R I S T I* Servatoris no-
stri redundat. Placet præcipuas saltem paucis delibare.

C X X X I X. Ac initiò quidem, stante Sacrificio Missæ-
tico, sive stante vera ac reali illa Missaticâ oblatione Chri-
sti,

At, consequens fuerit, Christum in missa verè ac realiter trucidari sive mactari. *Ratio*: Nam universa scriptura de nulla Christi oblatione alia vel *yeu* novit, quàm de ea, quæ cum occisione Christi est conjuncta: usq; adeò ut Spiritui sancto termini convertibiles sint: Christus oblatus est, & Christus occisus est: quemadmodùm Epistola ad Hebræos disertè affirmat: *si necesse habuisset offerre sapius semetipsum, oportuisset illum frequenter pati ab origine mundi. Heb. 9. 25. & 26.* Neque unicam *evsarij* contrariam ex scripturis proferre possunt Adversarij. At verò Christus, qui semel mortuus, ad illam immortalitatis possessionem aspiravit, ut denuò mori vel mors ipsi ampliùs dominari haud possit. Rom. 6. 9.

CXL. Deindè sequetur sanctissimum corpus & sanguinem Christi, etiamnùm in statu gloriæ & Majestatis, perpetuis mutationibus pro hominum arbitrio esse subjectam. *Ratio*: Nam in omni sacrificio verè ac propriè sic dicto, victimæ mutatio requiritur: id quod per inductionem singulorum & universorum sacrificiorum propriè sic dictorum, demonstrari potest.

CXLI. Tùm omnis fiducia in mortem sive meritum CHRISTI per Sacrificium Missæ evertitur & labefactatur. Quis enim cogitet, se morte Christi plenè redemptum esse, ubi aliud adhuc Sacrificium verè ac propriè sic dictum, & Sacrificium quidem propitiatorium restare audiet? Quis peccata sibi virtute mortis Christi remissa esse confidat, ubi aliam impetrandæ Remissionis hujus viam in Missa proponi intelliget? quemadmodum sanè hæc vox in Papatu frequentissimè audita fuit: Nos (inquiunt sacrificuli Missifices) quando CHRISTUM patri in Missa offerimus, hoc oblationis opere assequimur remissionem peccatorum. Quid proindè passioni & morti Christi supererit, nisi ut sit exemplum illius redemptionis, quam sacrificulus opere suo (uti

E

loquun-

loquuntur) operato indies promeretur. Sed satis de altero probationis fundamento.

CXLII. Restat tertium petitum à modo, quo sacrificium propitiatorium offerri debet. Ille verò non est nisi *cruentus*, Hoc modo Christus semetipsum obtulit: Hoc modo Epistola ad Hebræos cap. 9. 22. generaliter infert, *Absque sanguinis effusione non fit remissio*: ita ut duo isthæc simpliciter sint *ἀντιστάσεις* propitiatio pro peccatis, & sanguinis effusio: quorum unoposito, alterum etiam poni: uno negato, alterum etiam negari necesse sit.

CXLIII. Proinde cum attestantibus ipsis Romanensibus Missa sit *θυσία ἀναίμακτος* sacrificium incruentum, in quo ne vel minima sanguinis guttula effunditur: certè jam de Missa actum, jam conelamatum est.

CXLIV. Et profectò vulnus hoc Missæ suæ inflatum, vix rectius sanabunt Pontificij, quam si deinceps in locum hostiæ substituant vel agnum vel aliquod animal, illudque ad præscriptum legum Leviticarum, mactatū Deo offerant. Sic fortè speciem aliquam sacrificij veri & externi Missa sortietur?

CXLV. Sed obstrepunt sacrificuli Missifices: Ideò incruentè in Missa offerri Christum, quia videlicet hæc oblatio quotidie repeti debeat: At verò cruenta si esset, tum illam haud posse repeti: siquidem cruenta oblatio semel tantum fieri debuerit.

CXLVI. At verò hoc non est disputare sed turpiter *ἀδολεχεῖν*. Nam primùm quod dicunt non probant: siquidem Scriptura sacra nulpiam discrimen istud agnoscit, & ex hominum arbitrio non pendet, ut sacrificij propitiatorij naturam mutant: quam Deus non nisi cruentam esse voluit: secundum illud: *Vbi peccatorum remissio, ibi sanguinis effusio*, Hebr. 9. 22.

CXLVII. Deinde cum Christus *unic* illa oblatione
cruenta perfectissimam propitiationem nobis pepererit: u-
ti supra demonstratum: Quid obsecro opus est Oblatione
incruenta, & quidem propitiatoria? Siccine cruenta illa
oblatio, supplemento incruento indigebit? Absurdum &
blasphemum.

CXLVIII. Quid quod hæc exceptio Romanensium
semetipsam evertit. Fingunt enim se in Missa offerre san-
guinem Christi: Qui num & quomodo incruenta ratione
offerri possit, demonstrent. Certè incruentum quod est,
sanguis dici nequit: rursus sanguis ubi est & offertur, ibi
cruenta sit oblatio, oportet: nisi cruentum non cruentum
humidum siccum, hoc est, idem non idem appellare, & cum
ratione insanire quis velit.

CXLIX. Patet hinc falsum esse canonem Concilij Tri-
dentini, qui audacter nimis pronunciauit, sacrificium Missæ
idem planè esse, quod fuerit sacrificium crucis. Nam crucis
sacrificij substantia erat sanguis verè ac realiter effusus in ter-
ram: Quâ substantia cum destituatur sacrificium Missæ, qu-
obsecro idem cum sacrificio crucis esse queat?

CL. Porro crucis sacrificium hac proprietate & differen-
tia specifica à sacrificijs veteris Testamenti gaudet, quod in
eo idem numero & individuo est προσφέρω ἢ προσφερόμενος,
hoc est, Sacerdos offerens, & ipsa victima sufficiens, abso-
luta, perfecta, nullo prorsus supplemento, nulla repetitio-
ne indigens.

CAPVT QVARTVM.

Μέσση 4. MISSA PONTIFICIA PVGNAT CVM
ratione & modo æterni Sacerdotij
CHRISTI.

CLI. Sacerdotium Christi duobus potissimum attributis satis specificè definit Scriptura 1. nominans Christum Sacerdotem æternum : 2. Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech.

CLII. Hæc enim attributa, Christi Sacerdotium tum à Sacerdotio veteris Testamenti expressè determinant : tum verò luculenter ostendunt Sacerdotium hoc per successionem ad alios transferri haud posse : uti mox patebit.

CLIII. Ac de æternitate quidem Sacerdotij Christi sic differit Epistola ad Hebr. cap. 7. 23. *Illi quidem (veteris Testamenti Sacerdotes) plures facti fuerunt Sacerdotes, propterea quòd per mortem non sinerentur permanere: At hic (Christus) quòd idem maneat in æternum, perpetuum habet Sacerdotium: Unde etiam ad plenum salvos facere potest, qui per ipsum ad eunt Deum, semper vivens ad hoc, ut interpellet pro eis.*

CLIV. Quò respiciens etiam David in Spiritu Christum nominat Sacerdotem secundum ordinem Melchisedech. Psal. no. 4. ut quemadmodum neque de initio dierum, neque de fine vitæ Melchisedeci discretè constabat : ac exinde ἀπ' αὐτῶν ἡ ἀμύτῳ, & æternum vixisse videri poterat : ita Christus verus ille rex pacis & justiciæ perpetuum sit habiturus Sacerdotium, nullis sive successoribus sive vicarijs vel in cælo vel in terris indigens.

CLV. Et Autor Epistolæ ad Hebræos, capite citato septimo, vers. 26. & sequentibus, uberius Pontificem CHRISTVM sic describit : *Talis nos decebat Pontifex, sanctus, sine vitio, sine labe segregatus à peccatoribus & sublimior cælis factus: 27. Cui non sit quotidie necesse, quemadmodum illis Pontificibus, prius pro peccatis proprijs victimas offerre, deinde pro peccatis populi, Hoc enim fecit SEMEL, cum semetipsum obtulit. &c.*

CLVI. His jactis fundamentis haud difficile erit Idolatriam
Missaticam, vel ex uno hoc capite, funditus evertere.

Primum enim Sacerdotium Leviticum Veteris Te-
stamenti, à Sacerdotio Novi in hoc distinguitur, quòd in il-
lo P L U R E S Sacerdotes offerebant Sacrificia: In hoc autem
non plures, sed I D E M manens IN A E T E R N U M C H R I -
T U S Servator.

At verò Sacrificium Missæ per plures, imò innume-
rabiles fermè Sacrificulos indies offertur.

Ergo illud ad Sacerdotium Novi Testamenti non
pertinet: sed potiùs Veteris Testamenti imperfectionem &
infirmiorem revocat. Quo vel vno nomine meritò ex agro
& finibus Ecclesiæ Novi Testamenti, erit relegandum.

CLVII. 2. Deindè C H R I S T U S Pontifex Novi Testa-
menti P E R P E T U O manet Sacerdos semper vivens, IN
H O C, V T I N T E R P E L L E T pro nobis.

Ergo C H R I S T U S in hoc suo Pontificatu successores
sive vicarios planè nullos admittit: & per consequens ipsū
quoque Sacerdotium Christi est ἀπαράβατον, neque à perso-
na Christi, ad ullam aliam transire potest. Ratio consequen-
tiæ est manifesta. Si enim Christus alios admitteret in Sa-
cerdotij munere exequendo successores, tūm certè non es-
set Sacerdos secundum ordinem Melchisedech: sed secun-
dum ordinem Aaronis, qui ob imperfectionem Sacerdotij,
suos habuit successores. Psal. 110. v. 4. Hebr. 5. v. 6, & cap. 7.
v. 17.

CLVIII. 3. Sacerdotem Novi Testamenti, qui quidem
verum & reale offerre possit Sacrificium expiatorium pro
peccatis populi, oportuit esse ὄσιον, ἄκακον, ἀμίαντον, κεχω-
ρισμένον ἀπὸ τῶν ἁμαρτωλῶν, sanctum, sine vicio, sine labe,
segregatum à peccatoribus: & cui non necesse sit quotidie
pro proprijs peccatis victimas offerre.

At quis ex universâ illa rasorum & unctorum Ponti-

ficum Romanorum, Cardinalium, Episcoporum, Monachorum, pafforum, Esavitarum rancida & foetida colluvie, vel unum nobis talem dabit Sacerdotem : ut de qua verè nimis cecinit Poeta :

Totam Pontificis Scholam fidemq;
Nascentem, vegetam excute & ruentem,
Nil comperies, nisi LUPERCOS,
LUPERCALE, LUPOS, LUPAS, LUPANAR.

CLIX. 4. Christus Sacerdos Novi Testamenti, sacrificium propitiatorium pro peccatis populi, oblaturus, obtulit semetipsum (non per sacerdotem aliquem alium) sed per SPIRITUM SANCTUM SEMEL Hebr. 9, 26, 28. & cap. 10, 12. & 14.

Sacrilega proindè temeritas fuerit Sacrificulorum Missaticorum mentientium se indies DEO patri offerre Filium. Siccine ergo, quod per Spiritum Sanctum semel est factum, indies per Missificulos istos etiamnum fieri, credendum fuerit ? Fallum hoc & blasphemum.

CLX. 5. Tandem Sacerdotis sive Pontificis Novi Testamenti, definiende Scriptura, hoc debuit esse ἰδιον πάθος, & proprium, quod dicitur in quarto modo, ut videlicet simul esset Mediator inter DEUM & homines : hoc est: simul esset & Sacerdos & victima : ita quidem, ut in Novo Testamento nullum dari possit Sacrificium verum, reale & externum, nisi in quo verè ac realiter idem ille qui est Sacerdos, simul etiam esset victima.

Quæ certè nota ad Sacerdotes Missaticos haud priùs quadrabit, quàm demonstratum fuerit, illos esse etiam Mediatore inter DEUM & homines : imò esse illos ipsam victimam, quæ offerri debeat. Quod utrumque uni & soli CHRISTO competere, jam modò est comprobatum.

CLXI. Concludimus proindè eum solus & unus Christus

Atus sit Sacerdos Novi Testamenti, neque vicarios aut successores ullos hac in parte ullo respectu admittat, uti hactenus demonstratum est: Sacrilegium insigne committere Sacrificulos Romanenses, qui sese Sacerdotes Novi Testamenti insolenter jactitare solent.

CLXII. Certè cum Epistola ad Hebræos affirmet, & quidem vniuersaliter, Neminem sibi nomen atque honorem Sacerdotis (propriè loquendo) usurpare, nisi qui vocatus sit, ut Aaron: quin neque CHRISTUM ipsum sese ingressisse, sed obediuisse Patris vocationi. Hebr. 5, 4. necessum fuerit, ut Sacrificuli Missatici, huius sui sacerdotij, autorem DEUM institutoremq; ex Scripturis perspicuè demonstrarent: & literas vocationis, non à Pontifice Romano: sed à Christo scriptas exhibeant: aut ipsi fateantur honorem hunc, quem sibi arrogant, non esse à DEO, sed improba temeritate, se in hoc officium Sacerdotale, tanquam fures & latrones irrupisse.

CAPVT QVINTVM.

Μέσση s. MISSA PONTIFICIA PVGNAT CVM
natura sive definitione Sacrificij propriè sic dicti.

CLXIII. Etsi variæ & fermè infinitæ videntur fuisse in populo Israelitico Sacrificiorum propriè sic dictorum species, uti videre est ex Levitico Mosaico: haud incommodè tamen Apologia Confessionis Augustanæ, naturam Sacrificiorum exactiùs considerans, ad duo summa quasi genera referri eas posse ostendit: quorum vnum sit εὐχαριστικόν vel quod eòdem recidit σεβασικόν ἢ λατρευτικόν, quo populus Israeliticus, suã declaraturus pietatem gratias Deo pro acceptis beneficijs agebat: alterum verò ἰλασικόν propitiatorium, quo Deus placabatur pro admisis peccatis, non quidem quod holocausta illa in se virtutem istam expiandi haberent: sed ἐν τύπῳ sive τυπικῶς, quatenus videlicet ea fuerunt
Typus

Typus & figura unici illius & consummati Sacrificij propitiatorij, quod aliquando Messias ἀληθῶς ἢ τελείως esset oblaturus.

CLXIV. In Novo Testamento, (sic docente Scriptura sacra,) duo itidem Sacrificiorum genera, purior tenet Ecclesia: Vnum propriè ac verè sic appellatum, & quidem propitiatorium illud CHRISTI in ara Crucis peractum, & quidem SEMEL, nunquam amplius ullo modo reiterandum. Alterum impropriè, analogicè, figuratè sive Metaphoricè sic dictum, & id quidem commune Christianorum siue fidelium omnium: idq; triplex.

CLXV. *Primum est pietatis & cultus erga DEUM, Sacrificium videlicet laudis & gratiarum actionis, prædicatio Evangelij, ut ab ortu Solis usque ad occasum magnum fiat nomen DEI in Gentibus. Primi hujus generis Materia siue hostiæ sunt vituli labiorum confitentium nomini DOMINI. Psal. 50, 14. Hebr. 13, 15.*

CLXVI. Primi hujus generis intuitu Patres Sacram Cœnam haud infrequenter nominarunt uti εὐχαριστία, ita θυσία Sacrificium incruentum (sensu metaphoricò sive analogico) propter preces & gratias, quæ DEO circa actionem S. Cœnæ, solvebantur.

CLXVII. *Alteram est, pietatis erga nos ipsos: Sacrificium videlicet spirituale corporum nostrorum, ut ea exhibeamus hostiam viventem, sanctam, acceptam DEO, ut Sacrificium sit Spiritus noster contritus & afflictus, quod DEUS non despicit, Rom. 12, 1. Psal. 51, 19.*

CLXVIII. *Tertium est, pietatis erga proximum siue fidelem, siue infidelem, siue amicum siue inimicum: Sacrificium videlicet Iustitiæ & Charitatis, ut suum cuique tribuamus, ut juvemus afflictos; ut opera Charitatis exerceamus &c. Phil. 4, 18.*

CLXIX. Spiritualium istorum Sacrificiorum respectu, singuli

singuli & universi Christiani, sunt domus spiritualis, Sacerdotium sanctum, genus electum, regale Sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ad offerendum hostias istas spirituales, acceptas Deo per Iesum Christum 1. Petr. 2. 9.

CLXX. Quo sensu Iohannes etiam in Apocal. cap. 1. 6. sub persona Christianorum Novi Testamenti, Christus inquit, fecit nos Reges & Sacerdotes DEO & Patri nostro. Quod ipsum repetitur, cap. 5. 10. & cap. 20. 6.

CLXXI. Neque ullum in novo Testamento definitum est sacrificium visibile sive ceremoniale aut propriè sic dictum, quod certo hominum ordini sit divinitùs assignatum usque adeò ut non sine grandi sacrilegio, hodiè sacrificuli Missifices, ac reliquis unctorum, ratorum, ac probè delibutorum Monachorum ordo, augustum hoc Sacerdotum nomen & Elogium, sibi soli arrogare ausit.

CLXXII. Cæterùm, neq; de Sacrificijs Eucharisticis & propitiatorijs veteris Testamenti, neq; etiam de spiritua- libus hisce Novi Testamenti Sacrificijs propriè inter nos & Romanenses controvertitur.

CLXXIII. Nam ipsimet fatentur, Missam non esse propriè Sacrificium Eucharisticum: vel propitiatorium Typicum, qualia fuerunt Veteris Testamenti; neque etiam & quidem multò minus esse sacrificium impropiè & figuratè sic dictum, qualia sunt spiritualia Novi Testamenti: Sed esse sacrificium *verè ac propriè* sic dictum, & quidem *propitiatorium*, pro peccatis, pœnis, culpis, satisfactionibus & alijs necessitatibus tum vivorum, defunctorum, uti habet Canon tertius, Sessionis sextæ, Concilij Tridentini,

CLXXIV. Proindè illud potissimum in controversiâ hoc loco venit: an Sacrificij verè ac propriè sic dicti, & quidem Sacrificij propitiatorij nomen ac definitio, Missæ Pontificiæ competat? Illi ajunt: Nos negamus: & negativæ rationes depromimus istas,

CLXXV. Primum enim in omni Sacrificio propriè sic dicto, requiritur certa materia sive substantia, h. e. victima, quæ offerri debet: & ea quidem non humano arbitrio aut consilio: sed à Deo ipso expressis verbis definita.

CLXXVI. Iam verò Missa Pontificia destituitur tali materia sive victima: Siquidem in universa Scriptura S. Deus nusquam legitur vel ordinasse vel præcepisse, ut corpus & sanguis Filij sui in sacrificio offerrentur.

CLXXVII. Certè Epistola ad Hebræos, licet accuratissimè universum Christi Sacerdotium, singulasque ejus partes examinet, deque sacrificio Novi Testamenti propitiatorio ex professo disputet: tamen ne quidem unico apice meminit ullius sacrificij sive victimæ, quæ ad finem usque mundi in terris indies offerri, & quidem in propitiationem pro peccatis, vel etiam in applicationem sacrificij crucis, offerri debeat: quin potius ita in sacrificio illo crucis Christi, omnia sacrificia finem & complementum suum sortita esse testatur, ut nullum amplius sacrificium propriè sic dictum, salvo unico illo Christi sacrificio, offerri vel possit, vel etiam debeat.

CLXXVIII. Sic ergò præcipuâ parte, eaq; Essentiali sacrificium Missæ destitui, ac proindè non Sacrificium, sed theatricam potius actionem nominandam esse, constat.

CLXXIX. Deindè, in omni Sacrificio vero ac legitimo requiritur, 1. ut sacrificium eo modo, illis ritibus atque ceremonijs offeratur, quas non homines excogitarunt, sed Deus ipse in verbis institutionis præscripsit, 2. Ut actio hæc fiat à persona, ad hoc ipsum manus à Deo singulariter ordinata, 3. Ut fiat ea intentione, eoque fine, quem DEUS ipse rursus dilucidè definivit: nempe vel ad *ἰχθυσίας* sive *σεβασμῶν*: vel ad *ἰλασμῶν*. Quemadmodum
sanè

fanè προσημεία ista, in sacrificijs Leviticis veteris Testa-
menti, singulis & universis, manifestè deprehenduntur.

CLXXX. Iam verò si ad Missam Pontificiam fiat ac-
commodatio, certè penitè conelamatum est, eam Sacrificij
propriè sic dicti nomen & appellationem sustinere haud
posse. Nihil enim in Christi concionibus, nihil in Evange-
listarum scriptis, nihil in Apostolorum monumentis occur-
rit, quod in speciem tantum, vel quoad formam, vel quoad
personam offerentem, vel quoad finem, Dei institutionem
Missæ pontificiæ conciliare possit.

CLXXXI. Sed excipit Concilium Tridentinum, asse-
rens, Missæ sacrificium idem quidem esse cum sacrificio
crucis: sed tantùm differre modo & ratione.

CLXXXII. Quid audio? Siccinè ergò duo diversi
erunt modi à Deo ipso definiti, quibus corpus & sanguis
Christi offerri debent: *Vnus, cruentus*, qui semel pera-
ctus in ara crucis: *alter incruentus*, qui in Missa quotidie
fit frequentandus? Vbi verò, & quibusnam scripturæ locis
hoc mysterium est proditum? priorem quidem illum mo-
dum novit scriptura: De posteriore verò isto, ne *ἔτι* qui-
dem.

CLXXXIII. Et suprà Capite tertio ex Epistola ad
Hebræos liquidò demonstravimus Christum non posse of-
ferri Deo patri in sacrificium propitiatorium, sine inter-
ventu mortis & *ἀιματηχυσίας*. Qui cruentus modus, Sa-
crifici Christi ita *ὄνσιώδης* est, ut in alium incruentum,
salvâ rei veritate, converti aut mutari non possit.

CLXXXIV. *Tertio*: In omni sacrificio proprio ac legitimo
necessum est, ut hostia sive victima, quæ offertur incurrat
in oculos: id quod rursus per inductionem singulorum &
universorum sacrificiorum propriè sic dictorum, evidentis-
simè comprobari potest.

Iam verò Romanenses ipsi concedere coguntur,

se offerre sub visibilibus speciebus sive accidentibus panis & vini, invisibile corpus & invisibilem sanguinem Christi. Aut ergò Sacrificij Missatici, si modò verum & externum Sacrificium esse debeat, Materia sive victima erunt visibilia accidentia panis & vini: Aut si corpus & sanguis Christi victimæ vices sustinere debeant, sequetur Missam esse sacrificium improprie & figuratè sic dictum, propterea quòd sacrificium verum ac proprium, non nisi visibilem victimam admittit.

CLXXXV. *Quarto*: In omni sacrificio proprio ac externo, hostiam ipsam sive victimam mutari necesse est: id quod rursus ex consideratione omnium sacrificiorum, quæ Deus unquam usquam instituit, luculenter patet: usque ad eò, ut quicquid mutationi non subiacebat, illud neque sacrificatum fuisse proprie dici potuerit:

Iam verò in Missa pontificia hostiæ sive distinctæ mutationis nihil obtingit. Nam quod de transubstantiatione garrunt, ea certè non corpori & sanguini Christi: sed externis symbolis sive Elementis panis & vino obtingere fingitur. Sin mediante hac transubstantiatione ipsi quoque corpori & sanguini Christi aliquid mutationis obvenire contenderint: consequens fuerit, toties mutari, & destrui corpus & sanguinem Christi, quoties Missa celebratur. At hoc impium & blasphemum in Christum, cui uti mors, sic neque ulla mutatio amplius dominari potest, Rom. 6.9.

CLXXXVI. *Quinto*, Ea est natura, & proprium quasi πᾶσι sacrificij ἱερατικῆς propitiatorij ut sæpius repeti ac iterari non possit. Hanc enim ob causam Epistola ad Hebræos, Leviticis Sacrificijs ἱερατικῆς, in se consideratis, omnem propitiandi vim denegat, quia non desierunt offerri, sed eadem hostia sæpius offerri debuerunt, quæ nunquam potuerunt auferre peccata. Hebr, 10. 1. & 2.

Constat

Constat ergò vel indè Missæ Pontificiæ, ut quæ singulis non dico annis semel, sed singulis diebus infinitius celebratur, Sacrificij propitiatorij nomen ac definitionem non competere.

CLXXXVII. Tandem, testis est Epistola ad Hebræos, Sacrificia externa pertinuisse ad pedagogiam legis, & ad umbras Veteris Testamenti: neque durare ea debuisse amplius ex ipsa intentione Dei, quàm usque ad tempus correctionis: hoc est, usque ad exhibitum Christum, per cuius unicum Sacrificium omnia illa sunt abrogata. Hebr. 9. 10.

Proindè Romanenses, Externi Sacrificij usum hodiè in Ecclesiam Novi Testamenti revocantes, nihil aliud facere censendi sunt, quàm quod veterum legis pedagogiam, veteres legis umbras, postliminiò restituant. Absit verò longissimè, ut jugum istud denuò nobis, quippe qui jam in libertatem Evangelicam per Christum asserti sumus, imponi patiamur.

CAPVT SEXTVM.

Μέτρον 6: MISSA PONTIFICIA PUGNAT CVM analogia Scripturæ & Atticulorum fidei.

CLXXXVIII. Graviter præcipit Apostolus, ut omnis doctrina & interpretatio Scripturarum fit fidei analogæ: Rom. 12, 6. Nam, quemadmodum, eodem rursus definiente Apostolo, quicquid non est ex fide peccatum est, Rom. 14, 23, Ita fieri nequit, quin quicquid non est ex fide, illud ipsa quoque fidei ἀναλογία impiè convellat, labefactet, destruat.

CLXXXIX. Dicti veritas patet tum ex reliquis erroribus sive placitis Romanensium: tum verò & cum primis ex Idolo hoc Missatico, quod non ex fide, sed præter & adversus fidem esse, vel ideò constanter asserimus & credimus, quia de eo nihil quicquam novit Scriptura Sacra: Fides enim est ex auditu: Auditus verò per Verbum Dei. Rom. 10, 17.

CXC. Pugnat proindè Missa cum totius Scripturæ Sa-

eræ scopo, qui in eo unice consistit, ut doceat, Hominem sola in Christum fide, apprehendente, firmaq; fiducia sibi applicante unicum illud Sacrificium propitiatorium Crucis, consequi Remissionem peccatorum, Iustitiam & vitam æternam.

CXC I. Hic certè Scripturæ scopus evertitur penitus, quam primùm Romanensium dogmati locus relinquatur, quòd nimirùm Missa sit Sacrificium propitiatorium pro peccatis, pœnis, culpis, alijsq; necessitatibus tum defunctorum tum viventium: & id quidem ex opere operato: licet is, pro quo offertur, fide destituatur, imò sit obduratus & impenitens, neque ad gratiam recipiendam sese præparet; uti loquitur Bellarminus, lib. 2. de Missa.

CXC II. Deinde evertit Missa Pontificia universum Ministerium Verbi & Sacramentorum: quo tamen Spiritus Sanctus, tanquam ὀχήματι, semper (ordinariam rationem si spectes) in efficienda conversione hominis & accendenda fide, utitur.

Fingunt enim Romanenses, Missam esse medium, quo merita & beneficia mortis Christi homines sibi applicare queant; vel, uti loquuntur, esse Canalem, per quem meritum Christi, ad eos etiam, qui fide destituuntur, derivetur.

CXC III. Tum pugnat Missa Pontificia cum vera invocatione Dei, quem solum & unum per Christum Salvatorem, in fide innitente Sacrificio Crucis unico propitiatorio, invocandum esse, Scripturâ Magistrâ, credimus. Missa enim non contenta merito Christi, involvit simul merita, preces & intercessiones Sanctorum defunctorum & Martyrum, Petri, Pauli, Andreæ, Iacobi, Iohannis, Lini, Cleti, Clementis, Sixti, Cornelij, Cypriani, Laurentij, Chryso-goni, Iohannis & Pauli, Cosmæ & Damiani, & omnium Sanctorum: uti habet Canon Missaticus,

194. Sed

CXCIV. Sed quid multis opus est, cum hætenus satis evidenter demonstratum sit, Missam pugnare cum Sacramento Eucharistico, cum Sacrificio Crucis Christi, cum Sacerdotio Novi Testamenti &c:

CAPVT SEPTIMUM ET POSTREMVM

Metrop 7: MISSA PONTIFICIA FOEDISSIMIS abominationibus, imposturis, blasphemijs scatet.

CXCV. Etsi ex istis quæ hætenus disputata sunt, satis perspicuè liquet, quàm tetra & horrenda Idolomania sit Missa Pontificia, ut quæ CHRISTUM, Sacerdotem & Pontificem Novi Testamenti unicum, insigni contumelia afficit: crucem ejus sepelit & opprimit: mortem ejus obfuscet: beneficia ex illa ad nos redundantia tollit: Sacramentum Corporis & sanguinis Christi, in aliam specie differentem actionem convertit: analogiam fidei nefariè convellic & adulterat: nihil tamen prohibet, quò minùs tanquam ἐν προορθίῳ κείνῳ, præcipuas Canonis Missatici foeditates, abominationes, blasphemias, quasi in speculo quopiam contemplandas, ob oculos constituamus.

CXCVI. Placet autem initiò audire ipsum Canonem Missaticum, Deum illam Romanensium Maozim loquentem: postmodùm ubi opus fuerit, breves Notationes adjiciemus.

CANON MAIOR MISSA,
TICVS.

Te Clementissime Pater per IESUM CHRISTUM filium tuum Dominum nostrum supplices rogamus ac petimus, ut accepta habeas & benedicas hæc & dona, hæc & munera, hæc sancta & Sacrificia illibata.

Notatio.

I. Quàm piè & aptè invocetur Deus per Christum, & quidè ut Christum

Christum oblatum pro hostiâ acceptâ habeat, viderint ipsi sacrificuli: Mens pia à tali precatione meritò tanquam blasphema abhorret, quippè certò credens, Christum esse Filium illum dilectum, in quo Deus pater semper εὐδοκίησε.

II. Quæ hæc λεπτολογία est, orare in plurali numero ut Deus hæc Sacrificia benedicat: cùm tamen contendunt se in Missa Vnum Christum offerre?

III. ὑσερολογία: primùm petunt Alini isti Missifices sive Missifici, accepta haberi dona quæ offeruntur: postmodùm demùm petunt ea benedici: quasi accepta Deo esse possint, quæ non sunt benedicta.

IV. Blasphemia. Quid enim blasphemum magis dici cogitariue potest, quàm hominem impurum & sordidum, sua intercessione efficere, ut Deus Pater benedicat Filio suo.

Canon.

In primis qua tibi offerimus pro Ecclesia tua Sancta Catholica, quam pacificare, custodire, adjuvare & regere digneris toto orbe terrarum &c.

Notatio.

Andaba-
tismus
Roma-
nensium.

I. λόγος σκοτενός. Nondum enim vel ipsis Romanensibus satis liquet, utrum hæc verba, quippe consecrationem antecedentia, sint de pane & vino, an verò de corpore & sanguine Christi intelligenda?

II. Si de pane & vino intelligant: Ergo actum est de Missa, quam volunt esse Sacrificium non panis & vini: sed Corporis & Sanguinis Christi.

III. Blasphemia est, panem & vinum offerri debere pro salute Ecclesiæ, quam solus Filius Dei sanguine suo acquisivit. Actor. 20, 28. Ephes. 5, 25.

IV. Si de corpore & sanguine Christi hanc precationem intelligunt, haud levior emergit blasphemia: nempe quod Ecclesiæ Catholicæ ex solo Sacrificio Crucis Salus obtinere

gere non possit, nisi interveniat hæc sacrificuli Missatici oblatio.

Canon.

Memento Domine famulorum famularumq; tuarum N. & omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, & nota devotio, pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium laudis, pro se suisq; omnibus, pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis, & incolumitatis suæ, tibiq; reddunt vota sua aeterna Deo vivo & vero.

Commemoratio
pro vivis.

Notatio.

I. κακοζηλία. In primitiva Ecclesia circa actionem Eucharisticam offerebant pij ad Altare panem, vinum, & alia dona, ad testandam suam pietatem tum erga Deum, tum erga homines. Pars istorum donorum sive oblationum cedebat ad ipsam actionem Eucharisticam: pars altera cedebat Ministerio: pars tertia pauperibus. Istorum ergo pietas à Sacerdote commendabatur publicè, & rogabatur Deus, ut memor suarum promissionem liberalitatem istam vellet compensare: quemadmodum patet ex antiqua Liturgia Basilij: ubi Sacerdos sic orabat: *Memento Domine eorum, qui in sancta tua Ecclesia frugiferi sunt, & bona opera faciunt, & eorum, qui recordantur pauperum: Retribue eis opulenta & cælestia dona.* Dona eis cælestia pro terrenis, aeterna pro temporalibus: incorruptibilia pro corruptibilibus. Hic ritus crescente dominatu Antichristi Romani in horrendam idolomaniam abiit. Nam cessante ritu offerendi Eleemosynas five sacrificia laudis ad altare, mansit tamen hæc precatio pro vivis: hoc est, cessantibus rebus, mansit inanis verborum sonus & demurmuratio: id quod insignem stoliditatem & κακοζηλίαν Romanensium prodit.

2. Blasphemia. Redemptionem enim animarum & spem salutis canon assignat oblationibus illis, factis ad altare: &

G

sic fa-

fic sacrificia laudis & gratiarum actionis commutat in Sa-
crificium propitiatorium: id quod veteribus nunquam in-
mentem venit: ut qui unâ nobiscum crediderunt, redem-
tionem animarum & spem salutis, non ex oblationibus qui-
busvis: sed ex solo sacrificio Christi in ara crucis peracto,
provenire. Hæc blasphemia magis elucescit ex verbis SE-
CRETAE, uti vocât, ubi sacrificulus has impias voces eructat:

*Propitiare quæsumus Domine animabus famulorum famula-
rumq; tuarum, pro quibus tibi hostias placationis (propitiatio-
nis) offerimus &c.*

Canon.

Añiq.

*Communicantes & memoriam venerantes imprimis gloriosæ
semperq; virginis Mariae genetricis Dei, & Domini nostri Iesu
Christi: sed & beatorum Apostolorum ac Martyrum tuorum, Pe-
tri, Pauli, Andreae, Iacobi, Iohannis, Thome, Iacobi, Philippi,
Bartholomæi, Matthæi, Simonis & Thadæi, Lini, Cleti, Clemen-
tis, Sixti, Cornelij, Cypriani, Laurentij, Chrysoconi, Iohannis &
Pauli, Cosmæ & Damiani, & omnium Sanctorum tuorum, quo-
rum meritis precibusq; concedas, ut in omnibus protectionis
tuæ muniamur auxilio. &c.*

Notatio.

I. Veteris Ecclesiæ consuetudinem canon rursus scele-
ratè corrumpit & adulterat. Faciebant illi suis in orationi-
bus mentionem sanctorum Martyrum, non ut illos invo-
carent, sed ut suum erga ipsos amorem ac desiderium testa-
rentur. Sic enim Smyrnenensis Ecclesia: *Martyres propter in-
superabilem erga regem & Præceptorem suum benevolentiam
diligimus, tanquam discipulos Domini & imitatores, & optamus
nos illorum consortes fieri: ὡς γένετο καὶ ἡμεῖς συγκοινωνοὺς γε-
νέσθαι.* Sic apud Dionysium, & in Liturgia Basilij habetur Ca-
talogus eorum, qui piè obdormierunt: sed Dionysius ipse
facti

facti rationem reddēs, *Non, inquit, hoc fit vel ob implorandum
ipforum Patrocinium, vel ob purgatorium: sed ut presentes ad
ipforum imitationem vocentur: atque predicentur jam verè vi-
vere &c.* Sic in Liturgia Basilij nulla prorsus sanctorum
aut Martyrum habetur invocatio: sed hæc precatōnis sum-
ma est: ut quemadmodum cum omnibus sanctis verum
Christi corpus sumus; ita quoque communio unitatis Spi-
ritus servetur: & nos mediante Dei misericordia eandem
salutem consequamur, quā illi nunc verè possidēt. Hæc sive
consuetudo sive devotio mox circa tempora Augustini
in idololatriam paulatim abiit, donec tandem invocatio de-
functorum in Papatu plenè stabilita fuit. Quæ tamen tempo-
ris præscriptio, veritati ipsi præjudicare nihil vel potest,
vel debet.

II. Sacrilegium committit Canon. Nam honorem soli
Christo debitum tribuit sanctis defunctis, de quibus tamē
Propheta affirmat, quod nesciant & ignorent nos, Ies. 63. 16.
Qui ergo suis meritis & precibus apud Deum pro iis inter-
cedant, quos num in rerum natura sint, ignorant: & quorum
gemitus ac suspiria audire non possunt. Christus solus no-
ster est Advocatus apud Patrem; qui & solus est propitiatio
pro peccatis totius mundi: quam etiam gloriam alteri non
communicat. 1. Ioh. 2. 1. & 2. Ies. 42. 8.

III. Verba institutionis volunt S. Eucharistiā peragi in me-
moriā Christi: Hoc quotiescunq; feceritis, in mei memoriā
facietis: At Canon peragit Eucharistiā in memoriā defuncto-
rum: Et Christi vix unquam hoc loco meminit.

Canon.

*Hanc igitur oblationem servitutis nostræ, sed & cunctæ fami-
liæ tuæ, qua sumus Domine, ut placatus accipias, diesq; nostros in
tua pace disponas, atque ab æterna damnatione nos eripi, & in
electorum tuorum jubeas grege numerari per Christum Domi-
num nostrum.*

Notatio.

Meræ blasphemix & stoliditates. Nam 1. Canon offert Deo panem & quidem nondum (ut illi loquuntur) consecratum. 2. Vult pane isto oblato placari Deum. 3. virtute hujus oblationis eripi nos ab æterna damnatione, & in electorum numerum aggregari. Vbi ergo meritum sacrificij crucis Christi?

Canon.

Oratio. *Quam oblationem tu Deus in omnibus quasumus bene tibi adscriptam, ratam, rationabilem, acceptabilemque, facere digneris, ut nobis corpus & sanguis fiat dilectissimi filij tui, Domini nostri Iesu Christi.*

Notatio.

Exhorrescat cœlum, contremiscat terra, stupefiant Elementa ad isthæc blasphemiarum portenta, quæ & præfens oratio Canonis & tota insequens actio Missalis continet.

II. Insignis stupiditas Canonis. Hactenus petijt ut DEUS per hostiam immaculatam quam Sacrificulus offert, placetur & ejus virtute nobis obtingat animarum redemptio: At verò hîc demùm orat, ut DEVS oblationem illam benedicere, adscribere, ratam habere velit.

III. Horrenda blasphemia. Somniat Canon intercessionem sacrificuli hostiam, hoc est, panem & vinum fieri Corpus & Sanguinem Christi.

IV. Anilis superstitio. Putat Canon virtute Characterum Crucis, transsubstantiari panem & vinum in Corpus & Sanguinem Christi.

V. *ἀουσαρία*. Aut enim oblatio hæc jam est Corpus, aut nondum est Corpus Christi. Si nondum est: Ergo hactenus obtulit Canon solum & nudum panem & vinum: & sic plus.

plusquam blasphemè & per sacrilegam ἀστολατρείαν Elementis istis adscripsit vim placandi Deum, & eripiendi ab æterna damnatione. Si modò est Corpus Christi: Cur obsecro rogat Canon, ut demùm fiat Corpus Christi. Sic præter stoliditates, contradictiones & blasphemias nihil habet Canon aliud.

Canon.

Qui pridie quàm pateretur, accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas, & elevatis oculis in Cælum, ad te DEUM patrem suam omnipotentem, tibi gratias agens bene & dixit, fregit, deditq; discipulis suis, dicens, Accipite & manducate &c.

Verba institutionis Cœnæ.

Notatio.

I. Sacrilega Testamenti Christi violatio. Canon enim S. Cœnam, quam Christus ad manducandum & bibendum Corpus & Sanguinem suum, idq; in mortis suæ ἀνάμνησις instituit, mutat in Sacrificium & oblationem Corporis & sanguinis Christi, quæ fiat ipsi Deo.

II. Scelerata verborum institutionis mutilatio, eaq; gemina. Nam 1. Canon omittit verba hæc (*Quod pro vobis traditur*) quæ tamen maximè sunt substantialia, quippè ostendentia, illud Corpus ad manducandum sub pane exhiberi & distribui, quod in Cruce fuit pro nobis traditum. Vbi simul usus hujus Sacramenti involvitur. 2. alteram partem laicis (uti vocant) sacrilegè adimit, & usum Calicis soli Sacrificulo sacrificanti concedit.

Canon.

Vnde & memores Domine nos servi tui, sed & plebs tua Sancta, Christi filij tui Domini nostri tam beate passionis, nec non & ab inferis resurrectionis: sed & in Cælos gloriose ascensionis, offerimus præclaræ Majestati tuæ, de tuis donis ac datis, hostiam & puram, hostiam & sanctam, hostiam & immaculatam, panem & sanctum vitæ æternæ, & calicem & salutis perpetuæ.

G 3

Nota

Notatio.

I. Sacrilegium. Solus Chriffus est Sacerdos Novi Testamenti, qui ut Græcus Canon habet, simul est προσφέρων ἢ προσφερόμενος, offerens & oblatio: Tradidit enim semetipsum pro nobis oblationem & hostiam DEO in odorem suavitatis, Eph. 5. 25. Et semetipsum obtulit immaculatum Deo, per proprium sanguinem, Hebr. 9. 14. Quis ergò Sacrificulis dedit potestatem offerendi Corpus Christi?

II. κακοζηλία. Vult Canon imitari morem ac consuetudinem Græcæ Ecclesiæ, quæ circa actionem Eucharisticam eandem fermè preces ad DEUM fundebat: *Memoriam celebrantes salutarium Christi passionum, vivificæ Crucis, sepultura, resurrectionis, ascensionis &c: τὰ σὰ ἐκ τῶν σῶν σοι προσφέρομεν, Tua ex tuis tibi offerimus, per omnia & in omnibus. Te laudamus, tibi benedicimus, tibi gratias agimus &c.* Verùm hæc imitatio multis modis est vitiosa. Nam precatio illa respiciebat dona illa, quæ offerebantur ad altare: de quibus, quantum necesse erat, infumebatur in distributione Cœnæ: & reliquum distribuebatur inter pauperes. Vndè dicebant τὰ σὰ ἐκ τῶν σῶν σοι προσφέρομεν hoc est, dona illa & munera quæ oblata sunt, de tua liberalitate proveniunt: & nos vicissim ea tibi offerimus, eo modo, quem Scriptura ipsa definit, quatenus videlicet gratias tibi pro illis agimus: & de illis Eleemosynas distribuimus. Nam & preces, & Eleemosynas, Scriptura Sacrificium appellat, Hebr. 13. 15. Phil. 4. 18. Sed quid hoc ad Missam Pontificiam; in qua neque consuetudo illa offerendi dona & distribuendi eleemosynas inter pauperes observatur: neque etiam preces & Gratiarum actiones, veteribus usitata, eo fine recitantur, quo tùm fieri solebat. Quare multi ex ipsis Romanensibus, viri haud planè indocti statuerunt, Canonem Missaticum à superstitione & contemptu vindicari non posse, nisi vetus illa Patrum consuetudo, offerendi ad altare munera, & distribuendi Eleemosynas, in usum revocetur,

III. Crimen falsi. Nam in veterum liturgijs hæc verba (Hostiam puram, hostiam sanctam, hostiam immaculatam, panem Sanctum vitæ æternæ, & calicem salutis perpetuæ) non leguntur: Sed ab Architecto Canonis, homine indocto & superstizioso incogitanter sunt adjecta.

Canon.

Supra quæ propitio ac sereno vultu respicere digneris, & accepta habere; sicut accepta habere dignatus es, munera pueri iusti Abeli & sacrificium Patriarchæ Abrahæ, & quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech sanctum sacrificium, immaculatam hostiam.

Notatio.

Hic demùm verè intueri licet pudenda meretricis huius, Canonis Missatici. 1. Quod si enim, uti præcedentia verba habuerunt, hæc dona, hæc munera, hæc sacrificia sunt jã pura, sunt sancta, sunt immaculata: Quid opus est rogare, ut Deus velit ea propitio ac sereno vultu respicere? 2. Quid magis horrendum, quàm rogare, ut Deus Corpus filij sui sereno & propitio vultu respicere & acceptum habere dignetur: Siccine Sacrificuli Missatores erunt pro Christo Mediatores vel saltem intercessores apud DEUM? 3. Quid execrandum magis, quàm orare, ut DEUS Corpus & sanguinem Christi eo saltem habeat loco & precio, quo ovem aut vitulam Abelis & Abrahami habuit? 4. Quid temerarium magis, quàm puriorem Antiquitatem eâ suspitione gravare, quasi & ipsa hujusmodi preces pro Corpore & Sanguine Christi conceperit? Liturgia quidem Basilij sic habet: *Respice super nos o Deus, super hunc cultum nostrum, & accipe hunc, sicut accepisti munera Abel & Sacrificia Noe &c.* Sed nihil quicquam rei aut negocij fuit vel Basilio vel reliquis patribus tùm temporibus de offerendo Corpore & Sanguine Christi: sed de offerendis precibus & gratijs, quas tanquam λογικῆς λατρείας orabant haberi ratas & acceptas à DEO.

Canon

Canon.

*Supplices te rogamus omnipotens Deus, jube hac perferri
per manus Sancti Angeli tui in sublime altare tuum, in conspe-
ctum divinae Majestatis tuae.*

Notatio.

O miserum Christum, qui Angelorum ministerio in-
dies indiget, ut deportetur in conspectum divinæ Majesta-
tis! En tibi egregiam fidem & doctrinam Romanensium, de
Christo confidente ad dextram Dei virtutis! quæ si ad scri-
pturas sacras conferatur, quid aliud ea fuerit, quam mani-
festa abnegatio Articulorum Symboli Apostolici, quibus
Christum in Cœlos ascendisse & ad dextram Dei patris
consedisse, credere nos profitemur? D. Apostolus Ephes. 1.
20. & seqq. Sessionem hanc sic definit: Consedit ad dex-
tram Dei in cœlestibus, supra omnem principatū (Angeli-
cum) & potestatem, & virtutem & dominationem, & omne
nomen, quod nominatur non solum in hoc seculo, sed in
futuro: Et omnia subjecta sunt (ergo & Angeli) sub pedibus
ejus. Et Epistola ad Hebræos, cap. 1. 3. & seqq. Christus se-
det ad dexteram majestatis inexcellis: TANTO EXCEL-
LENTIOR ANGELIS effectus, quanto sublimius nomen
præ illis hæreditariò sortitus est. &c. Et ver. 13. Cui Angelo-
rum dixit aliquando, sede à dextris meis? Verùm secundum
Canonem Missaticum, Major est Angelorum, quàm Chri-
sti quantumvis evecti ad dextram Patris, Gloria & potentia?
En tibi egregium flosculum Romanæ Ecclesiæ? de reliquis
ipse judicabis.

Canon.

*Memento etiam Domine famulorum famularumq; tuarum
N. qui nos praeceperunt cum signo fidei, & dormiunt in somno
pacis. Ipsis Domine & omnibus in Christo quiescentibus, locum
refri-*

Oratio
pro de-
functis.

refrigerij, lucis & pacis ut indulgeas, deprecamur, per eundem Christum Dominum nostrum. Amen.

Notatio.

Vertigine mentis laborat Canon, Rogat pro ijs qui in fide decesserunt, quiq; dormiunt in somno pacis, qui denique quiescunt in Christo: rogat inquam, ut his detur quiescere in loco refrigerij, lucis & pacis. Quæ hæc amentia est? Si jam ante quiescunt in Christo & in pace, quid obsecro opus est, demùm precibus hoc illis velle impetrare?

Et hæctenus de Canone Missatice, ejusdemq; horrendis imposturis, abominationibus, stoliditatibus, blasphemijs. Sed tanta est patrum Concilij Tridentini sive cæcitas sive temeritas & audacia, ut negare audent, quicquam errorum inesse Canoni: imò Anathematis fulmen (brutum Dei gratia) projicere in eos, qui diversum affirmaverint. Canon. 6. Sess. 6. Sed supersunt & aliæ abominationes, istis haud leviores, quas partim ex doctrina Romanensium de Missa: partim ex ipsa theatra ejus actione petere licet. Placet paucis eas delibare.

I. Theatrica, vel historica potius actioni Missatice affingunt cultum primarium: & quidem cultum Sacrificij propitiatorij, cujus eadem sit vis, idemq; meritum, quod Sacrificio Crucis Scriptura assignat: usque adeò, ut Missa proficit non tantùm ex opere operante, hoc est, ex dignitate & merito personæ celebrantis sive offerentis: Sed etiam ex opere operato (liceat cum barbaris *βασίλειον*) hoc est, ex ipsa dignitate operis in se considerati, vel quod idem est, ex sola oblatione, nullo habitu respectu ad fidem & devotionem personæ, pro qua offertur Sacrificium.

II. Vnde disertè affirmant, in persona, pro qua offertur Missa, non requiri præviam dispositionem: Sed prodesse Missam etiam ijs, quos constat in peccato libenter manere; imò prodesse obduratis etiam & impenitentibus: sic quidem definiente Bellarmino, lib. 2. de Missa.

III. Fingunt Missam Sacrificium esse impetratorium pro

H

omnis

omnis generis beneficijs, non spiritualibus modò, sed & corporalibus: imò esse eam averfionem omnium poenarum & calamitatum.

IV. Fingunt Missam prodesse non communicantibus, sed spectantibus duntaxat atque audientibus: imò defunctis etiam ijs, qui sunt in purgatorio.

V. Fingunt per Missam demereri Sanctos in Coelis, ut suis meritis pro nobis apud Deum intercedant.

VI. Fingunt Missas istas celebrari posse privatim, in templorum angulis absque communicantibus: in quibus Soli Sacrificuli comedunt & bibunt, propterea quòd, quemadmodum Os materialis Corporis non sibi tantùm edit: sed alimentum etiam percipit ad cœterorum membrorum sustentationem, quod in totum Corpus transfunditur: sic etiam Os Sacerdotis sit os omnium, & vis Sacramenti, quod solus Sacerdos accipit, in singula Ecclesiæ membra se diffundat, maximè in eos, qui in Missa præfentes adsunt: uti olim per artem planè Cabalisticam philosophati sunt Gabriel Biel, Lect. 81. Vincentius de Valentia, Serm. 2. de festo Epiphan. Eccius & alij.

VII. Fingunt Sacrificulum in consecratione, sive Transsubstantiatione, ex pane & vino creare Creatorem suum: juxta illud Bielis: *Qui creavit me, dedit mihi creari se: Et qui creavit me sine me, creatur mediante me.* O vocem scelestam & impiam? Creabit ne Creatorem cœli æternæ impurissimus homuncio qui ne quidem muscam aut culicem creare potest?

VIII. Fingunt Panem sive hostiam semel consecratam, & Sacrario asservatam religiosè venerandam & adorandam esse.

IX. Fingunt Missam offerri posse non nisi à Sacerdote raso, uncto, jejuno, & qui nullum cujusquam membri defectum patiatur: Item non nisi interdium: excepta unica nocte Nativitatis Christi, quâ Missam facere concessum sit: Item non nisi super altare consecratum, & Sancto alicui dicatum, & quidem ad Orientalem plagam extructum.

X. Fingunt, in celebratione hujus sacrificij utendum esse lingua latina, sive peregrina, & laicis ignota: nempè juxta illud Poëtæ:

Barta-

Barbarus hic ego sum, quia non intelligor' ulli.

XI. Fingunt verba Canonis clarè & secretò recitanda esse ne videlicet tanti mysterij verba, per quotidianum usum vilescant, & sic fortè ab alijs recitètur: Vnde periculum & damnum haud leve sit emersurum: Sic quidem censente Gabr. Biele, Lect. 15, lit. D, in expos. Can, Et Cardinali Bellarmino, lib. 2, de Missa.

XII. Fingunt secretæ huic Missitationi vim aliquam Magicam subesse, sic enim Gabriel Biel, Lect. 4. super Can. Missæ: *Confectio corporis Christi in Sacramento fit occulta aliqua virtute, non insistente ei à quo fit, sed assistente. secundum quem modum venefici & incantatrices quosdam effectus producere dicuntur, & extrahere lac vaccarum de sedibus, vel manubrijs, securium, quod non fit naturali virtute incantatorum, neque ex eorum merito; sed virtute occulta, sive mala, sive bona, assistente.* Lepidè, argutè, nihil supra.

Nota: Sacrificuli Missatici ex sententia Bielis, sunt venefici & incantatores

Tandem. (quis enim Missæ fæditates non dico enumerando, sed saltem cogitando assequi valeret) Theatrica vel histrionica potiùs actio Missatica, stupendam ejus vanitatem & stoliditatem, non risu magis, quam lachrymis dignam, satis evidenter arguit, Videas enim (liceat sequentia ex Sleidano mutuari) sacrificulum raso vertice mentoq; non Christiano, sed Aaronio vestitu amictum, stare ad Altare, cantantem & demurmurantem, quæ vix quisquam spectatorum audire, nedum intelligere potest. Videas cereos in ipsa meridie ardere: thuribulis in aperto loco fumigationes & suffitus excitari. Videas varias à sacrificulo fieri tum gesticulationes, tum geniculationes: modò ipsum inclinari strictis manibus, modò distèdere brachia, modò eadè reducere, subindè se còvertere: nunc clamosum esse nunc magno silentio quædà demurmurare: jam in altū suspicere: mox pronū reddi; non uno consistere loco: nunc in dextram mox in lævam altaris partem commigrare, micare digitis, in calicem inhalare, eundem tollere in sublime, mox reponere, certis locis nunc vivos, nunc mortuos nominare, panem frangere,

Graphica descriptio Sacrificuli Missæ celebrantis ex Sleid, lib. 21.

gere, in calicem mittere, pectus pugno ferire, suspirare atque tristem ingemiscere, clausis oculis somnum repræsentare, mox rursus expergisci, manducare partem unam panis alteram cum vino totam haurire, ne qua guttula remaneat, abluere manus, patellam deauratam aversum, extenso brachio demonstrare populo, admoveere eandem fronti atque pectori, deosculari nunc altare, nunc imagunculam, materiæ vel metallo inclusam, &c. Ecquis verò non exclamet, Risum teneatis Amici? Imò veriùs: Quis dabit oculis nostris lachrymarum fontem, quibus dignè deploremus stupendam hanc Romanensium cæcitatem & indurationem, qua excæcati non modo non agnoscunt extremam vanitatem Missæ: sed eam potiùs pro sacrificio propitiatorio propriè sic dicto, venditant, adorant, venerantur.

Nobis certè, quibus per immensam Dei misericordiam veritatis lux plenissimo jubare exorta est, Missa nihil potest aut debet esse aliud, quàm (liceat alterius cujusdam scriptoris uti verbis) idolum execrabile propter adorationè? quam Helena meretrix propter histrionicum apparatus: quam Pandora, propter ceremoniarum farraginem: quàm cornix Æfopica, & cento πολυκέφαλος per aliquot secula à Romanis Pontificibus, novis subindè coloribus & additamentis auctus, fictus, pictus: Nihil denique aliud, quam jugum plusquam Iudaicum, propter onera præsumtionum, ut dixit Augustinus: ubi animulæ astantium tanquam in cœna aut convivio non pascuntur: sed oculi velut in spectaculo aut simiarum ludo saturantur? ubi frustra habetur quotidiana oblatio, frustra stât ad altare: Nemo est, qui simul participet, vel qui ad participandum invitet: ubi non edant, sed miserrime esuriant &c.

*Tibi CHRISTE IESU, cum Patre & Spiritu sancto sit laus
& perennis gloria, quod ex istis plusquam sive Ægyptiacis sive cym-
merijs tenebris liberatos nos, in lucem veritatis optatissimam
asseruisti: Conserva nos porro in veritate,*

A M E N.

05 A 1954

ULB Halle 3
003 782 158



V017

Vol.







B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

Farbkarte #13

3



ogica Ordinaria
CIO RO
MISSATI
HORRENDA
ATIONE
 L
ASSERENDO
CRUCIS CHRI
auspicij Spiritus San-
am proponit
 es
HUTTERVS,
 or, & Professor
 s:
 ente
VELSTENIO
 , Saxone.
 : horis matutinis,
Mersnerianis, Impensis
 , Anno 1683.

